This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

GRAD
BUHR
888
A610
H22

A 774,337

Hammer, De Apsine Rhetore

1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

DE

APSINE RHETORE.

SCRIPSIT

CASPARUS HAMMER,

PROGRAMMA GUNTIANUM

A. MDCCCLXXVI.

FORMIS J. GOTTESWINTERI ET MOESSLII MONACENSIUM.

888
A160
H22
Buhr

Graeci rhetores digni sunt, quibus operam demus, quippe qui magnam nobis afferant utilitatem atque adiumentum ad oratores et penitus intellegendos atque iudicandos et adolescentibus explanandos atque commentandos. Quo in numero non minimus auctor habendus est Apsines. Sed nemo fere hucusque quando is vixisset, quos libros praeter eum, qui exstat, composuisset, quae ratio intercederet inter eius et aliorum rhetorum doctrinam, accurate indagavit et definivit. Iam vero cum non ignorem, haec quae adumbrare conabar, multa habere, quae corrigantur vel gravioribus argumentis confirmentur, tamen in his acquiescere constitui neque quidquam aliud nisi hoc rogo, ne quis, cum hanc de Apsine quaestionem composuerim, eam aliave rhetorica me relicturum esse putet, sed experientia modo tentavisse quaedam, quibus probatis ad alia atque altiora transirem.

Cap. I.

§ 1. Apsines natus est Gadaris, in oppido non ita magno Coelesyriae, unde ei nomen est *ὁ Φοῖνιξ*[1]) et *Γαδαρεύς.*[2]) Itaque videndum est, ne quis eius originem transferat ad urbem eiusdem nominis magnam munitamque ad Hieromacem fluvium sitam, quippe cuius incolae appellentur *Γαδαρηνοί.*[3]) Quis vero fuerit Apsinis Gadarensis pater, non satis constat. Quod enim Suidas tradit: *σπαρεὶς ὡς λόγος ἐκ Πανός*, eis verbis non significatur humanus, ut ita dicam, pater. Neque magis filium Panis dei Apsinem ab aequalibus re vera putatum esse verisimile est. Non enim eo tempore, quo illum fuisse demonstrabo, homines deorum filii habebantur, neque is erat, qui ex virtute egregia heros appellaretur. Sed hoc cognomen referendum videtur ad Apsinis corporis formam. Etenim Pan, quem deum latine recte dicas Faunum, erat deformi corporis statura, vultu turpi nasoque adunco.[4]) Aeque maleficam in corpore fingendo

naturam Apsinem nactum ideoque ab aequalibus Panis filium iocose nominatum esse opinor.[5])

§ 2. Iam vero qua aetate rhetor, de quo agere institui, vixerit, paucis perscrutabor.

Philostratus in libro, qui inscribitur *Βίοι Σοφιστῶν*, cum alios rhetores tum Apsinem Gadarensem laudavit.[6]) Cum autem Philostratus eos, qui gloria philosophandi praestiterint et iusto sophistae nomine ornati sint quique iam vita decesserint aut quorum non usus sit familiaritate, se descripturum esse profiteatur veritus, ne fidem ab aequalibus non impetraret — *καὶ γὰρ ἂν καὶ ἀπιστηθείην ὡς χαρισάμενος, ἐπειδὴ φιλία μοι πρὸς αὐτοὺς ἦν* —, sequi videtur, ut Apsines Gadarensis, cum Philostratus Vitas Sophistarum componeret, iam fuerit mortuus atque quoniam in fine eius libri memoratur, non multo ante morte occubuerit. Familiariter enim se usum esse Apsine Gadarensi dicit Philostratus.[7]) Itaque quo anno Philostratus Vitas Sophistarum ediderit, primum indagandum est.

Hunc librum Philostratus sub annum ducentesimum tricesimum septimum videtur composuisse, cuius rei testis est inscriptio libri: *Τῷ λαμπροτάτῳ ὑπάτῳ Ἀντωνίῳ Γορδιανῷ Φλαύιος Φιλόστρατος.* Atque cum in eodem prooemio ille Gordianum salutaverit *ἄριστε ἀνθυπάτων*, appellatur imperator Gordianus primus.[8]) Is enim, quem vocant M. Antonium Gordianum Africanum, adolescens admodum carminibus componendis operam dabat, ut paene adhuc puer Antoniadem librorum triginta scriberet in laudem Antonini Pii et M. Aurelii.[9]) Familiarissime autem usum se esse illo Gordiano ipse Philostratus refert, cum dicat in praefatione eius libri: *Σοφιστὰς ἀνέγραψά σοι, γιγνώσκων μέν, ὅτι καὶ γένος ἐστί σοι πρὸς τὴν τέχνην ἐς Ἡρώδην τὸν σοφιστὴν ἀναφέροντι, μεμνημένος δὲ καὶ τῶν κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν σπουδασθέντων ποτὲ ἡμῖν ὑπὲρ σοφιστῶν ἐν τῷ τοῦ Δαφναίου ἱερῷ.*

Gordianus autem postquam functus est praetura, cum imperatore Caracalla consul factus iterum cum imperatore Alexandro Severo sub annum 229 consul designatus est suffectus. Tum a senatu pro consule in Africam missus tanto provincialium amore dilectus est, ut alterum Scipionem, Catonem, Laelium Sapientem eum appellarent.[10]) Sed ille cum complures annos provinciam Africam administrasset, a coniuratis quibusdam Augustus contra Maximinum re-

nuntiatus est; sed cum filius eius Gordianus, quem legatum secum duxerat,[11]) in pugna contra Capelianum, qui erat pro praetore Mauretaniae, victus et interfectus esset, ipse sibi mortem conscivit (anno 237). Itaque ante hunc annum Philostratus vitas sophistarum composuit; atque cum scribat: **ὥσπερ ὁ κρατὴρ τῆς Ἑλένης τοῖς Αἰγυπτίοις φαρμάκοις,** concludere licet, Philostratum, cum administraret Gordianus provinciam Africam, Vitas ei misisse. Sed hoc anno Apsinem nondum fuisse mortuum ut credam, hac ratione adducor.

Suidas his locis Apsinis Gadarensis mentionem facit.

I. **Μαΐωρ Ἀράβιος σοφιστὴς ἔγραψε περὶ στάσεων βιβλία ιγ', συνεχρόνισε δὲ Ἀψίνῃ καὶ Νικαγόρᾳ, ἐπὶ Φιλίππου τοῦ Καίσαρος καὶ ἐπάνω,** ergo sub annum ducentesimum undequinquagesimum et antea; nam M. Julius Philippus Arabs ab tertio Gordiano praefectus praetorio et Caesar designatus est anno 243 et post eius mortem successit anno 244; deiectus autem de imperio a Decio anno 249 et in pugna Veronensi interfectus est. Dein Nicagoras, qui item aequalis Maioris appellatur, familiaris fuit Philostrati[12]) et orationem ad imperatorem Philippum fecit.[13])

II. **Φρόντων Ἐμεσηνὸς ῥήτωρ, γεγονὼς ἐπὶ Σεουήρου τοῦ βασιλέως ἐν Ῥώμῃ· ἐν δὲ Ἀθήναις ἀντεπαίδευσε Φιλοστράτῳ τῷ πρώτῳ καὶ Ἀψίνῃ τῷ Γαδαρεῖ· ἐτελεύτησε δὲ ἐν Ἀθήναις, περὶ ἑξήκοντα ἔτη γεγονώς.** Itaque si recte **γεγονὼς ἐπὶ Σεουήρου** intellego,[14]) Phronto Emesenus natus est imperante Septimio Severo, ita ut, cum sexaginta annos vixisset, eius aetas fortasse contineretur anno fere centesimo nonagesimo tertio et anno ducentesimo quinquagesimo tertio. Cui rei etiam hoc convenit, quod Phronto adversarius Apsinis dicitur, Apsines autem, id quod infra accuratius definiam, annis fere 230—249 Athenis artem professus est.

III. Discipulum Apsinis Gadarensis fuisse Gaianum Suidas refert s. v.: **Γαϊανὸς Ἀράβιος σοφιστής, μαθητὴς Ἀψίνου τοῦ Γαδαρέως· ἦν δὲ ἐπί τε Μαξιμίνου καὶ Γορδιανοῦ.**

Vixit igitur hic sub imperatoribus Maximino et Gordiano, id est circa annos 235—244 p. Chr.; unde sequitur, ut, cum discipulus sub hos annos artem rhetoricam professus sit, Apsines magister ante eos vixerit et artem iam docuerit; quibus enim quisque annis doctrinae laude maxime cognitus probatusque erat, eos in nominanda uniuscuiusque aetate Suidas ponere solet.

IV. Apsines denique Gadarensis ipse a Suida imperante Maximino fuisse traditur, cum dicat *Ἀψίνης Γαδαρεὺς σοφιστής, — ἐσοφίστευσεν Ἀθήνησι βασιλεύοντος Μαξιμίνου.*

Auditor autem fuit idem Heraclidis Lycii Smyrnae, tum Basilici Nicomediae. Erat autem Heraclides Lycius discipulus Herodis Attici, Adriani, Chresti, Aristoclis,[15]) qui omnes imperantibus Antoninis artem profitebantur. Adrianum quidem anno 288 Romae mortuum esse constat.[16]) Heraclides postquam Athenis artem rhetoricam docuit, transiit Smyrnam, ubi, cum quando orationem ad imperatorem Severum haberet, linguae facultate destitutus esse dicitur.[17]) Basilici autem aetas quando fuerit, non satis constat; sed eum eodem fere tempore vixisse atque Heraclidem, sequitur ex eo, quod Apsines, postquam hunc Smyrnae audivit, ad Basilicum Nicomediam transmigravit.[18])

Jam si, quibus locis Apsinis mentio fit, eos disquirimus, quoniam extremum vitae eius tempus imperium Philippi Arabis, primum Septimii Severi dictum est, Apsinis aetas statuenda est intra annos 193 et 249. Inde hoc sequitur, Apsinem, cum Philostratus Vitas Sophistarum composuerit, nondum vita decessisse; quam ob rem ille Apsinem tam exiguis verbis memorat, nisi forte ille hunc librum Apsine aliisque rhetoribus mortuis continuavit et edidit.

§ 3. Postquam igitur, quibus annis Apsinis Gadarensis aetas contineretur, quoad eius fieri poterat, definitum est, sequitur, ut quaeram, quid sit statuendum de eis rhetoribus, quibus apud Suidam idem Apsinis nomen est.

I. *Ἀψίνης Ἀθηναῖος σοφιστής, Ὀνασίμου πατὴρ τοῦ σοφιστοῦ τοῦ πατρὸς Ἀψίνου.*

II. *Ἀψίνης Γαδαρεὺς σοφιστής, σπαρεὶς ὡς λόγος ἐκ Πανός, μαθητεύσας δὲ ἐν Σμύρνῃ Ἡρακλείδῃ τῷ Λυκίῳ, εἶτα Βασιλικῷ ἐν Νικομηδείᾳ, ἐσοφίστευσεν Ἀθήνησι βασιλεύοντος Μαξιμίνου, ὑπατικοῦ λαβὼν ἀξίωμα.*

III. *Ἀψίνης Ὀνασίμου τοῦ σοφιστοῦ Ἀθηναίου, σοφιστὴς νεώτερος τοῦ Γαδαρέως Ἀψίνου.*

Atque unum quidem, qui in orationis contextu hunc, de quo agere institui, rhetorem antecedit, sophistam ille dicit Atheniensem,

patrem Onasimi sophistae, qui ipse fuerit pater tertii Apsinis sophistae. De hoc autem Onasimo Suidas tradit (s. v.): ***Ὀνάσιμος Κύπριος ἢ Σπαρτιάτης, ἱστορικὸς καὶ σοφιστής, τῶν ἐπὶ Κωνσταντίνου γενομένων, ἔγραψε στάσεων διαιρέσεις, τέχνην δικανικὴν πρὸς Ἀψίνην, περὶ ἀντιρρητικῆς τέχνης, προγυμνάσματα, μελέτας, ἐγκώμια καὶ ἄλλα πλεῖστα.*** Is autem, cui Onasimus artem dedicavit, videtur esse tertius ille Apsines, quem Suidas dicit filium fuisse Onasimi sophistae Atheniensis ipsumque sophistam, sed Gadarensi illo natu minorem. Patres autem saepe in filiorum usum libellos composuisse scimus. — Quodsi Onasimi patris aetatem, quando fuerit, considerabimus, deinde patrem eius dici meminerimus Apsinem Atheniensem, quid tandem erit, quod putemus Atheniensem illum diversum esse ab Apsine Gadarensi, qui Gadaris relictis floruerit Athenis? Inde fluxit nominum diversitas, ut Suidas referret, fuisse Apsines duos et Gadarensem et Atheniensem; id quod etiam eo firmatur, quod Graecorum erat, nepotibus indere nomina avorum. Philostratus deinde, qui susceperat rhetorum ante suam aetatem mores describere, cur Apsinem Atheniensem, si re vera fuisset, silentio transiturus fuerit, mirum est. Tum quibus annis Apsines Atheniensis vixerit quidque scripserit, frustra apud Suidam quaeras. Neque magis cur Suidas, cum Apsinem apud alios sophistas laudaverit, nunquam Apsinem Atheniensem, sed aut Apsinem Gadarensem aut omnino Apsinem nominaverit, intellegi potest. Accedit, quod idem a scholiastis fieri videmus velut Walz. vol. IV 302 n.: ***ἔστι δὲ προκατάστασις μὲν λόγος ἐν βραχεῖ τὰ ἐν τῇ καταστάσει μηνύων περιεχόμενα, ὡς καὶ Ἀψίνης φησὶν ἐν τῇ περὶ τῶν μερῶν τοῦ πολιτικοῦ λόγου τέχνῃ, ἔφοδος πρὸς τὰς ἀποδείξεις.*** Pertinet enim hic locus ad Apsinis Gadarensis artem rhetoricam p. 348. 12 Spengel. — Quod vero Onasimus, filius Apsinis Gadarensis vel Atheniensis, quem unum fuisse conieci, dicebatur Cyprius vel Lacedaemonius, inde videtur factum esse, quod, cum esset historicus, res Cypriorum vel Lacedaemoniorum descripsit aut fortasse ibi per multos annos versatus est invitatus a discipulis patris, quos illum ex remotissimis imperii Romani regionibus habuisse infra exponam.

§ 4. Iam Apsines cum puer omnibus doctrinae elementis institutus esset, quem tum habebant adolescentes usum frequentem, eum secutus in artem rhetoricam incubuit vel, id quod tum dicti-

tabant, factus est sophista. Nova enim literarum aetas effloruit imperante Hadriano. Praeter ceteras urbes florebat literarum laude Atheniensium urbs, quae cum magnificentissimis muneribus ab ipso Hadriano donaretur, ibi scientiae studium auctum atque amplificatum est. Amplexi sunt eius munificentiam Antoninus Pius et M. Aurelius, quorum quasi auspiciis cum literae universae tum eloquentiae studium affluebat summa ingeniorum vi atque rerum prosperitate. Namque ex Antonini Pii institutis M. Aurelius duos ludos Athenis constituit, quorum in altero philosophiae, in altero artis rhetoricae studium tractaretur. Hic autem ludus dividebatur in duas cathedras vel **θρόνους**,[19]) quarum una sophistarum, altera rhetorum erat. Dicendi autem doctores, qui et aliis muneribus et denis millibus drachmarum donabantur, initio quidem maximam partem per probatos viros ab imperatore delectos, nonnunquam autem ab ipso imperatore examine constituto nominabantur. Sed ille ludus, qui id spectabat, ut Athenae urbs iterum commercium quoddam atque seminarium artium literarumque exsisteret, ex imperatoris gratia atque liberalitate originem ita duxit, ut, cum iam pridem frequentaretur, tum demum auctoritate publica renovaretur atque ad maiorem rerum florem perduceretur.[20]) Etenim institutio oratoria et eloquentia civilis, cum omnino iam antiquitus colerentur et separatim et coniunctim, postquam Graecia in provinciae Romanae formam redacta est, principatum quendam omnium literarum acceperunt. Itaque artis rhetoricae studium in dies auctum cum institutione illa imperatoria nomen sophistae auctoritate quadam ornaretur, ad summum laudis fastigium pervenit. Atque cum eius artis studiosis magnum ad evolandum spatium daretur, factum est, ut Atheniensium urbs brevi frequentaretur sophistarum grege, qui magno, quod redundabat ex artis professione, rerum lucro adducti eo conveniebant.[21]) Quorum non minimus numerus ex Asiaticis ludis accitus est. Nam ibi cum in omnibus fere urbibus nobilioribus multi magistri artem rhetoricam profiterentur, tum principatum quendam tenebant Nicomedia et Smyrna.[22]) Hac in urbe summam sibi peperit laudem P. Aelius Aristides Adrianensis.[23]) Qui cum magna floreret apud imperatorem auctoritate, effecit, ut Smyrna urbs, cum terrae motu anno p. Chr. centesimo duodeoctogesimo diruta esset, publico sumptu restitueretur. Quas vero orationes quosve libros ille composuerit, non est quod hic

quaeram, quippe cum eum memoraverim, quod eius fama atque gloria in hac urbe artis ludus effloruit eiusque libri nonnunquam ab Apsine laudantur.[24]) Hunc autem rhetorem excepit Smyrnensi in cathedra Heraclides Lycius, qui machinationibus Apollonii Naucratensis adversarii sui de cathedra Atheniensi deiectus in eam, quam dixi, urbem demigravit, ubi summa cum laude artem professus magna colebatur inter aequales existimatione.[25]) Huius igitur viri fama cum tota Asia celebraretur, cum multi alii adolescentes, tum etiam Apsines, ut usus ille ac ratio discendi postulabat, Gadaris Smyrnam profectus est. Quae consuetudo quam frequens illis temporibus fuerit, apparet ex Philostr. v. s. II. 26: *νεότητα μὲν οὖν Ἰωνικήν τε καὶ Λύδιον καὶ τὴν ἐκ Φρυγῶν καὶ Καρίας ξυνδραμεῖν ἐς Ἰωνίαν κατὰ ξυνουσίαν τἀνδρός* (*Ἡρακλείδου*) · — *ὁ δὲ ἦγε μὲν καί τὸ ἐκ τῆς Εὐρώπης Ἑλληνικόν, ἦγε δὲ τοὺς ἐκ τῆς ἑῴας νέους, πολλοὺς δὲ ἦγεν Αἰγυπτίων οὐκ ἀνηκόους αὐτοῦ ὄντας.* Quid autem Heraclides scripserit, non satis constat. Philostratus quidem eum praestitisse memorat rebus sophisticis, cum inveniendo et eloquendo multum valeret et in iudiciali genere simplex esset nec in generis demonstrativi sententiis exprimendis tumidus (v. s. II. 26).

Ceterum Heraclides haud multum commovisse videtur Apsinis animum; etenim si ex Suidae *εἶτα* collocatione recte concludo, eum post Nicomediae apud Basilicum rhetorem in literis versatum accepimus; cui cum praeclaram deberet eruditionem ac doctrinam, tanta pietate persequebatur, ut, cum rhetores in arte oratoria non nominaret, eum unum praeter Aristidem laudaret eiusque rationem se secuturum profiteretur (Aps. p. 331. 7 Spengel). Et id quidem recte. Magna enim erat eius doctrinae laus apud posteriores, id quod perspicere licet ex multis locis, quibus Basilicus laudatur, velut Walz. vol. VII. p. 1024: *πάντων μὲν ἄμεινον καὶ τελεώτατον ὁ φιλόσοφος Ἀριστοτέλης παραδίδωσι τὰ περὶ τόπων ἐν τοῖς οὕτως ἐπιγραφομένοις τοπικοῖς βιβλίοις, καὶ Βασιλικὸς δὲ ὁ σοφιστὴς ἐν τῷ περὶ τόπων μονοβιβλίῳ τούτους τε ἀπαριθμεῖται τοὺς τόπους, καὶ ἄλλους ἀμφὶ τοὺς εἴκοσι, δι ὧν πλατύτερον τῶν πραγμάτων οἷόν τε ποιεῖσθαι τὰς ἐργασίας*, cf. VII. 878. 931. — Neque vero deerant, qui reprehenderent Basilici et dicendi genus (VII. 878) et animum novarum rerum studiosum (IV. 747). Quod autem Apsines magistrum *θεῖον* appellavit, etiam hoc sequitur, ut, cum nemo nisi homo

mortuus eo cognomine ornaretur, ille artem rhetoricam defuncto praeceptore composuerit.

Itaque Apsines ad doctoris exemplum omnia studia sua referebat. Qui cum non ignoraret artem rhetoricam non posse cognosci nisi ex imitatione atque studio Demosthenis, — ipsum quidem ad Demosthenis orationes commentarios fecisse comperimus ex schol. Hermog. *εἰς ἰδ. τομ. ά* (VII. 878. 14 W.): *εἰς τοὺς ὑπομνηματίσαντας τῶν Δημοσθενικῶν λόγων ἐνίους ἀποτείνεται καὶ τὰς περὶ αὐτῶν θεωρίας φιλοτιμότερον ἐπεξεργασαμένους Βασιλικόν τε καὶ Ζήνωνα καὶ τοὺς ὁμοίους* —, adolescentem egregio ingenio praeditum, ut eius orationes diligenter tractaret atque quidquid vel memoria vel commentatione dignum esset, studiose perscrutaretur, admonuit atque excitavit. Neque dubium est, quin ex his exercitationibus fluxerit ille commentarius, unde translatae sunt multae libri, qui est de institutione oratoria, interpolationes. Quanta autem fuerit auctoritate magister auditori, facillime intellegitur ex titulis librorum deperditorum (Suidas s. v. B.): (*ἔγραψε*) *περὶ τῶν διὰ τῶν λέξεων σχημάτων, περὶ ῥητορικῆς παρασκευῆς ἤτοι περὶ ἀσκήσεως, περὶ μεταποιήσεως, καὶ ἄλλα τινά.* Quo enim in genere versatus est Basilicus, ad idem Apsinem incubuisse reperimus. Itaque (Aps. p. 331. 10 Sp.) plane se applicavit ad magistri eloquentiae rationem, qua explanata tum demum, quae ipse profecisset, proposuit.

Postquam igitur duce nobilissimo viro mentem excoluit, cum imperante Heliogabalo ejusque consobrino Alexandro Severo Asiatici homines plus sibi auctoritatis in republica susciperent, demigravit rhetor Athenas, ut in ea sede cum artium ac literarum tum eloquentiae sophisticam, ut tum dicebant, artem profiteretur. Ibi familiarissime utebatur I. Flavio Philostrato illo, qui Vitas Sophistarum composuit. Falso Suidas (s. v. *Φρόντων*) primum Philostratum laudat. Nam hic illo tempore, quo Apsines Athenis artem rhetoricam profitebatur, magno natu fuit, nisi, cum Apsines Athenas transiret, omnino eum vita iam decessisse putamus. Deinde fieri non poterat, ut Phronto Emesenus aemulus esset illius rhetoris, cum Suidas Phrontonem imperante Septimio Severo natum esse, Philostratum primum iam Nerone imperante fuisse tradat. Ne id quidem recte; nam is imperante Septimio Severo nondum vita decesserat.[26]) Itaque iam Hemsterhusius coniecit: *Φρόντων-ἀντεπαίδευσε Φιλο-*

στράτῳ τῷ δευτέρῳ,[27]) cui causis supra allatis adductus non possum non assentiri. Huic rei optime quadrat, id quod Philostratus alter v. s. II. 33 refert, sibi cum Apsine amicitiam fuisse.

Iam egregia docendi ratione rhetor magnam assecutus est famae celebritatem. Quid igitur mirum, si adolescentes literarum studiosi Athenas confluxerunt? Veluti refert Suidas, Gaianum quendam, ut Apsinem Gadarensem audiret, ex Arabia Athenas profectum esse. — Apsines igitur magistri munere functus est sive, ut ait Suidas, *ἐσοφίστευσεν Ἀθήνησι βασιλεύοντος Μαξιμίνου.* His verbis autem nihil nisi eis annis laudem Apsinis maxime floruisse significatur. Etiam hoc addit Suidas, sophistam assecutum esse dignitatem consularem — *ὑπατικὸν* (sic recte Walzius vol. IX. prol. p. 23 emendavit pro *ὑπατικοῦ*) *λαβὼν ἀξίωμα.* Quo autem tempore Apsines dignitate consulis honorarii ornatus sit, docemur verbis Suidae: *βασιλεύοντος Μαξιμίνου.* Haec enim, si iudicare licet ex eorum collocatione, referenda sunt et ad *ἐσοφίστευσεν Ἀθήνησι* et ad *ὑπατικὸν λαβὼν ἀξίωμα.* Nimirum cum Apsinis laus maxime inclaruisset imperante Maximino, rhetoris docendi professio ita celebrabatur, ut ille dignitate consulari afficeretur. Hanc autem multos illius aetatis viros et rhetores et philosophos adeptos esse inter omnes constat.[28])

Iam vero praeter docendi professionem multus erat Apsines in libris componendis. Sed omnes fere praeter eum, qui inscribitur *τέχνη ῥητορική,* perierunt neque quidquam de eis compertum habemus nisi quod scholiastae ad Hermogenem aliosque scriptores memoriae tradunt. Ac primum quidem locis, in quibus Apsines laudatur, collatis, ad quem fontem referendi esse videantur, exponam.

1) Max. Plan. schol. ad Hermog. *ἰδ. τομ. ά.* vol. V. p. 465 n. 30 Walz.: *οἷον ὑπεσχόμην χορηγῆσαι, μηδενὸς ἄλλου ὑπισχνουμένου· τάττει δὲ τοῦτο Ἀψίνης μετὰ τῶν σχημάτων εἰκότως· οὐ γὰρ σχῆμά ἐστι διανοίας κατὰ Ἑρμογένην.*

2) Anon. schol. ad Hermog. *ἰδ. τομ. ά.* vol. VII. p. 1023 W.: *ἴσως τοῦτό ἐστιν, ὃ καλεῖ Ἀψίνης ἀπὸ τῆς ὁμοιώσεως.*

3) Tiberius de fig. vol. VIII. p. 563 W.: *συνωνυμίαν ὀνομάζει τὸ σχῆμα κἀκεῖνος,*[29]) *ὅταν κατὰ τοῦ αὐτοῦ πράγματος ἢ κατὰ τοῦ προκειμένου δύο λέξεις γενηθῶσι·*[30]) *τοῦτο δὲ πλεονασμὸν ὀνομάζει Ἀψίνης »τότε δὴ καὶ κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον.«* — Ibid. p. 571: *τὴν δὲ διατύπωσιν παρῆκεν Ἀψίνης.* — Ibid. 572:

τὸ δὲ διασυρμοῦ σχῆμα παρῆκεν Ἀψίνης. — Omnes hi loci, quos enumeravi, hausti esse mihi videntur ex Apsinis libro, qui inscribebatur *περὶ σχημάτων.* Ex ipsius autem rhetoris arte oratoria huc referendi sunt loci p. 386 Spengel.: *ἀναμνήσομεν δὲ καὶ διὰ προσωποποιίας· τί δ' ἐστὶν ἡ προσωποποιία, ἀλλαχόθι που δεδηλώκαμεν,* id est in libro de figuris;[31]) p. 387. 4: *ἔτι ἀναμνήσομεν ἐξ ὑποτυπώσεως,* ibid. v. 21: *ἔτι ἀναμιμνήσκειν ἐστὶν ἐκ τῆς καλουμένης ἠθοποιΐας.* Quos locos item ab Apsine in eo libello, quem dixi de figuris, tractatos esse affirmaverim, quod p. 387. 7 de eis se iam egisse quidem confitetur, sed nihilo minus quomodo eae singulae figurae ad perorationem adhibendae sint, se explanaturum esse profitetur.

Exstant vero etiam loci, quibus demonstraverim, Apsinem scripsisse librum, qui esset de elocutione sive *περὶ ἑρμηνείας.*

In commentario Doxopatri in Aphthonium vol. II. p. 512 Walz. ad verba *ἐκφραστέον δὲ πρόσωπά τε καὶ πράγματα, καιρούς τε καὶ τόπους,* cum alia tum haec adnotata reperimus (513. 19): *ἐπεὶ δὲ πάντα τὰ τῶν περιστατικῶν ταῖς ἐκφράσεσιν ὑποπίπτειν χωρὶς τῆς αἰτίας ἀπεφηνάμεθα, φέρεται δέ τις καὶ διαφορὰ πρὸς ἀλλήλους παρὰ τῶν παλαιῶν, τὸν τρόπον οἱ μὲν μὴ ἔχειν ὑπόστασιν, μήτε μὴν ἐκφράζεσθαι δυνατὸν ἀπεφαίνοντο, ὡς οἱ περὶ Ἑρμαγόραν τε καὶ Ἀψίνην, οἱ δὲ καὶ αὐτὸν ἀναγκαίως ἐκφράζεσθαι, ὡς οἱ περὶ Θέωνα τὸν Πλατωνικόν.* Hic locus Bakio prol. p. IX. videtur ex Syntagmate de schematis petitus esse. Sed agitur hoc loco *περὶ τοῦ ἐκφράζεσθαι,* quod certe referendum est ad librum *περὶ φράσεως* vel id quod posteriores rhetores velut Dionysius malebant, *περὶ ἑρμηνείας.*[32])

Item anon. schol. ad Hermog. *ἰδ.* vol. VII. p. 931. 14 W.: *ἔτι δὲ σαφέστερον τὰ περὶ τοῦ κόμματος Ἀψίνου δόξειεν ἂν ἔχειν· οὗτος γὰρ κατὰ μὲν τὴν διάνοιαν οὐδὲν διαφέρειν νομίζει τὸ κῶλον τοῦ κόμματος, μόνῳ δὲ διαχωρίζεσθαι τῷ μέτρῳ τῶν συλλαβῶν· ἀπὸ γὰρ τεττάρων καὶ πέντε συλλαβῶν μέχρι τῶν ἓξ κόμμα, φησίν, ἐστίν· τὸ δὲ ὑπὲρ τὰς ἑπτὰ καὶ ὀκτὼ καὶ δέκα ἐγγίζειν ἤδη τριμέτρῳ, καὶ μέχρι τοῦ ἡρωικοῦ προχωροῦν κῶλον γίνεται ὀρθὸν καὶ τεταγμένον, τὸ δὲ ὑπὲρ τὸ ἡρωικὸν σχοινοτενές· — προστίθησι δὲ διορθούμενος τὴν ἑαυτοῦ δόξαν περὶ* (sic recte pro *διὰ* scripsit Bakius) *τοῦ κόμματος, ὅτι καὶ ἐκ τεττάρων καὶ ἡττόνων*

συνίσταται τό κῶλον συλλαβῶν· εἰ γὰρ ἀπαρτίζοιτο, φησὶ, διάνοια καὶ ἐν δύο συλλαβαῖς κόμμα ἔσται, καλῶς λέγων. Bakio prol. p. XI. petita haec esse videntur ex Syntagmate *περὶ συνθήκης.* Non puto; nam cum haec neque ad Apsinis artem rhetoricam referri possint neque ad eius deperditum de figuris librum, necessario tertium ab eo librum de elocutione compositum esse statuendum est. Neque tamen idem existimandum est de eis, quae scripsit Demetrius *περὶ ἑρμηνείας* § 237 (vol. III. p. 313 Spengel, vol. IX. p. 100 W.): *περὶ δὲ τὴν λέξιν γίνεται τὸ ξηρόν, ὅταν πρᾶγμα μέγα σμικροῖς ὀνόμασιν ἀπαγγέλλῃ, οἷον ὡς ὁ Γαδαρεὺς ἐπὶ τῆς ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίας φησί.* Hoc loco aut Theodorum Gadarensem aut Apsinem intellegendum esse Walzius non magis recte[33]) putat quam Schneiderus,[34]) qui de scriptore dubitare videtur. Sed Theodorus Gadarensis statuendus est. Is enim, qui magister Tiberii Caesaris erat, exstitit princeps sectae rhetoricae, qui vocabantur *Θεωδορεῖοι.*[35]) Huius laus omnibus temporibus cum maxime floreret, ab Demetrio egregie dicebatur *ὁ Γαδαρεύς.* Accedit quod Demetrii liber *περὶ ἑρμηνείας,* quicumque is fuit, certe ante Apsinis Gadarensis aetatem compositus est et propter disserendi elegantiam et propter rhetorica, quae ibi proferuntur, praecepta; id quod alio tempore mihi propositum est luculenter demonstrare.

Sed difficile erit dicere, quid sit putandum de loco Walz. vol. VI. p. 583 Georg. Pleth. *συντομὴ περὶ τῆς ῥητορικῆς,* ubi traditur Hermogenes *τὴν πᾶσαν ῥητορικὴν δύναμιν ἐκ τοῦδε (Μινουκιανοῦ) καὶ τοῦ Ἀψίνου σφετερισάμενος καὶ ὅμως οὐκ ἀκριβώσας εἰς τέλος, ἀλλὰ προσποιησάμενος νενοσηκέναι τὸν λήθαργον, ὡς ἂν μὴ τὸ περὶ μεθόδου δεινότητος γράφων καταφανὴς Ἀψίνης φανείη.* Omnino haec falsa sunt; neque enim Hermogenes ex libro Apsinis, qui multo post eum vixit, in suum *περὶ μεθόδου δεινότητος* librum transferre potuit.[36]) Facile autem, quae de Minuciano traduntur, vera sunt; nam saepe eum ab Hermogene vel impugnatum vel emendatum esse referunt scholiastae.[37]) Itaque vocabulum *Ἀψίνης* aut corruptum aut interpositum est. Fortasse literae *τοῦ Ἀψίνου* mixtae sunt, ut, cum eae corruptae sensu carerent, ad probabilem lectionem *καὶ τοῦ Ἀψίνου* commutarentur; itaque scribendum puto *ἐκ τοῦδε τοῦ τεχνογράφου,* alterum *Ἀψίνης* ut interpositum est includendum vel corrigendum *ἐκεῖνος.* Ita enim Minuci-

arte appellatur ab eodem scriptore paulo ante et p. 567: **ὡς Φοιβάμμωνι τῷ σοφιστῇ καὶ Μινουκιανῷ τῷ τεχνογράφῳ.** Nonnunquam etiam Apsines cum Minuciano inducitur, unde fortasse illa alicuius emendatio orta est (velut Walz. VII. p. 1023).

Fragmentum vero, quod inscribitur **περὶ ἐσχηματισμένων προβλημάτων**, ei libro, quem ab Apsine scriptum esse **περὶ ἑρμηνείας** conieci, adiudicandum est, nam in elocutione a nonnullis genus figuratum numerabatur.[38])

Commentarios deinceps in Demosthenem reliquisse Apsinem refert Ulpianus[39]) ad. Lept. p. 458. 10, Max. Plan. schol. ad Hermog. *ἰδ.* vol. V. p. 517 Walz.[40]) Cui rei praeclare congruit magna exemplorum, quae ex Demosthenis orationibus sumuntur, copia. — Eundem orationes fictas vel **μελέτας**[41]) vel *ζητήματα* composuisse concludo ex locis velut Aps. p. 358 Spengel: *ὡς ἔφη Ἀψίνης ἐν τῷ κατὰ Μειδίου γεγενῆσθαι, ἐπειδήπερ ἔμελλεν αὐτὸν ἐγκωμιάσειν.* Nimirum Apsines cum commentarium in Demosthenis orationem Midianam fecisset, partes, ut ita dicam, Midiae in Demosthenem suscepit eumque ab illius criminibus defendit, id quod sane tritissimum erat in scholis rhetoricis.[42]) Idem fere statuendum est de locis, qui quidem item ut ille p. 358. 15 interpositi sunt, velut p. 354. 15 *οἷον ὡς ἐν τῷ Ἕρμωνι Ἀψίνης*, 356. 7 *ὡς ἐν τῷ Λυσάνδρῳ Ἀψίνης.* —

Reliquum est, ut de capite *περὶ πάθους* quid existimemus, paucis exsequemur. Ac Bakius quidem (prol. p. 10) ita docet: »(Caput *περὶ πάθους*) ego codices secutus Apsini subieci nec tamen Apsinis esse persuasum habeo. Primum ipsum argumentum quodam modo capite *περὶ ἐλέου* continetur et iunguntur una cogitatione *τὸ ἐλεεινολογεῖσθαι* et *τὸ πάθη κινεῖν* in epilogo: Hermog. *Στάσ.* vol. III. p. 26. 10. Schol. *εἰς Στάσ.* vol. IV. p. 417. 14 et 423. 10. Porro et argumentum, *πάθους* nomine si indicatur, et genus praecipiendi minime convenit praeceptioni *περὶ μερῶν τοῦ πολιτικοῦ λόγου*, sed *τέχνῃ περὶ ἰδεῶν* — nec tamen Longini esse puto.« Sane dolendum est, si hoc argumentum auctori ignoto adiudicandum est. At non verum sensisse videtur acutus ille vir. Namque quamquam non nego hoc *πάθους* argumentum referendum esse ad perorationem, tamen non intellego id caput Apsinis non esse. Etenim in epilogi parte ipsum affectum non tractat Apsines propterea, quod profert praecepta, quae adhibenda sunt in genere iudiciali, cf. p. 384. 20: *λέγω*

δὲ νῦν λόγον τὸν δικανικόν, hoc autem caput nonnunquam ad genus forense pertinere docet p. 405: τὸ πάθος πολὺ μὲν ἐν ποιήσει τῇ τραγικῇ, ἥξει δέ ποτε καὶ εἰς τὸν πολιτικόν. Quidni idem hoc loco factum esse existimemus, quod Quintilianus scripsit inst. or. VI. c. II. 1 Halm: »Quamvis autem pars haec (peroratio) iudicialium causarum in summa praecipueque constet affectibus et aliqua de iis necessario dixerim, non tamen potui ac ne debui quidem istum locum in unam speciem concludere . . ., qua de re pauca, quae postulabat materia, sic attigi, ut magis quid oporteret fieri quam quo id modo consequi possemus, ostenderem. Nunc altius omnis rei repetenda ratio est.«[43]) Quod autem non eodem praecipiendi more utitur Apsines, res ipsa fert mutationem generis dicendi. Neque tamen aliena est dictio neque exemplorum vis, cf. pp. 384. 20; 394. 17; 358. 18. 20. 23.

Praecipuus autem Apsinis liber, qui quidem totus fere nobis conservatus est, inscribitur Ἀψίνου τέχνη ῥητορικὴ περὶ προοιμίων.[44]) Hoc autem recte se habere non posse Spengelius[45]) exposuit atque demonstravit, cum in ea arte singulae partes eloquentiae forensis inessent, exordium dico, narrationem, confirmationem ac refutationem, epilogum, verba τέχνη ῥητορικὴ περὶ προοιμίων vitiosa vocabulorum dispositione exorta esse atque περὶ προοιμίων nihil ostendi nisi inscriptionem primi capitis totius libelli. Iam illud addendum est, quod is liber a scholiastis ad Hermogenem modo περὶ προοιμίων καὶ πίστεων (IV. 35 W.) modo περὶ τῶν μερῶν τοῦ λόγου τέχνη (IV. 712 W.) laudatur. Pluralis autem prooemiorum notio inde mihi videtur fluxisse, quod Apsines praeter ceteros rhetores in singulis eorum rationibus explicandis plurimus fuit. Atque cum p. 386. 5 Sp. diceret, quid esset personificatio, alibi se iam ostendisse, eum librum omnium ceterorum, quos ille scripsit, ultimum videtur composuisse; id quod a plurimis aliis rhetoribus factum est, ut, cum artem per multos annos professi essent, quidquid ex institutione oratoria profecerant, in unum librum conferrent, cuius rei nobis magnus testis est Quintilianus (prooem. I.).

Haec Apsinis ars quanti aestimata sit et ab aequalibus et a posterioribus rhetoribus, inde elucet, quod saepe laudatur, velut vol. IV. 35 W.: καὶ Θεοφράστῳ δὲ γέγραπται τέχνη ῥητορικὴ περὶ ἐνθυμημάτων, καὶ Ἀλεξάνδρῳ τῷ τοῦ Νουμηνίου καὶ Λολλιανῷ

περὶ ἀφορμῶν ῥητορικῶν, *καὶ Ἀψίνῃ περὶ προοιμίων καὶ πίστεων*. Nempe horum cum quisque artem oratoriam composuisset, eae modo partes, quae prae ceteris rhetoribus apud illos ingeniose tractabantur, eo, quem dixi, loco nominabantur. Itaque ab Apsine prooemia et confirmationes universae praeclarissime indagatae sunt.[46])

Neque vero inter aequales neque inter eos, qui postea arti rhetoricae operam dabant, defuerunt, qui de huius scriptoris laude detraherent. Nimirum artis definitionem nonnihil permutaverat et correxerat, unde illi abhorrebant, qui consuessent non suopte ingenio uti, sed tritissimum quidque amplecti atque quasi addicti in verba magistrorum iurare. Confitebatur quidem ille in primo prooemiorum capite, cum magister suus novas prodidisset orationis incipiendae rationes, ipsum se aliquid collaturum esse ad maiorem amplioremque artis exaedificationem. Itaque prooemium orationis cuiusque sumi posse dicit ex rebus similibus, quae versentur vel in rerum circumstantia vel in eventu vel in personarum qualitate vel in moribus. His autem perlustratis scribit Apsines p. 336. 20 Sp.: *ἕπεται τούτῳ ἑξῆς ὁλοκλήρως περὶ ἀντιπιπτόντων εἰπεῖν ἐπὶ πλέον διεξελθόντα, ἢ τοῖς πρὸ ἡμῶν περὶ αὐτῶν λέλεκται.* — Atque rerum novarum viam, quam ingressus erat, cum non dubitaret persequi, secundo artis capite alienam ceterisque inusitatam *καταστάσεως* proposuit definitionem. Etenim cum Hermogenes, cuius vestigia omnes fere rhetores posterioris aetatis secutos esse scholiis docemur, procatastasin quasi quandam narrationem esse profiteretur ante eam proferendam, quam vere eo nomine appellarent, in eaque narrari, quae ante causam, de qua ageretur, accidissent, Apsines procatastasin interpretatus est (p. 348) argumentorum ingressum, qua praeparatione causae praemunirentur. Quod ille igitur res, quae verae confirmationis essent, in eam procatastasin referebat idque recte se habere ex optimorum oratorum usu[47]) multis exemplis demonstrabat, nonnulli ei crimini verterunt, cui rei documento est scholium in omnibus Apsinis codicibus praeter Parisinum illum, quem infra Par. A appellabimus, interpolatum p. 368. 21 Sp. (p. 57. 10 Bak.): »*ὅπερ αἰτιῶνται Ἀψίνην, ὅτι ἐν καταστάσει τοιαύτῃ* (scrib. *τοιαύτην*) *γνώμην ἐξετάζει· τοῦτ' ἐστὶ τὸ χρῶμα, ὅπερ ἐστὶ τῶν πραγμάτων*« id est *ἀποδείξεων*. Quodsi ille in fine quaestionis, quae ceteris nova videbatur, copiosius demonstratae, quid sentiat, repetit et definit, hoc,

si quidem locos p. 368. 21; 371. 18 recte interpretor, connexum esse videtur atque cohaerere cum istis ceterorum rhetorum machinationibus. Sed cum fieri soleat, ut istis ipsis adversariorum reprehensionibus fama scriptoris commendatione quadam paulo latius dimanet ad existimationem hominum, Apsinis quoque laus sectae Hermogenianae vituperationibus pervulgata est. Idcirco ab scholiastis aliorum rhetorum saepe laudatur. Cui rei etiam illud quadrat, quod Apsinis ars interpolationibus plurimis corrupta est eiusque solito plura exstant manuscripta. Itaque Apsinis libros, ut discipulorum facultatibus mentibusque convenirent, in epitomen redactos esse docemur codice Gudiano, quo continentur post ipsum Apsinem Excerpta fol. 240a—243a *ἐξ Ἀψίνου ῥήτορος περὶ ἐπιλόγου*. Atque etiam rhetores, ut suas artes exornarent, ex huius scriptoris libris excerpsisse Tiberius testis est, quem quidem Apsinis et Caecilii libros *περὶ σχημάτων* compilasse verisimile est. Idem invenitur apud Gregorium VII. pp. 1225. 5—1227. 5 W., qui locum, quem tractat Apsines in epilogo de enumeratione, suppresso auctoris nomine partim ad verbum descripsit, partim in brevius contraxit. Itaque Tzetzes Apsinis patriam recte laudat chiliad. VIII. 696:

ἔστι καὶ πόλις Γάδαρα τῶν Φοινίκων χώρα,
ἐξ ἧς Ἀψίνης Γαδαρεὺς ὁ ῥήτωρ ἐγεγόνει. —

Cap. II.

Iam vero ad codicum haud parvum numerum enumerandum transeo, quorum unum ego diligenter excussi, ut omnium ceterorum inter se rationem et ordinem accurate exprimerem. In quo quoniam Bakius, qui primus ad Apsinem emendandum omnes fere codices, quibus eius ars rhetorica continetur, inspiciendos curaverat, eos in prolegomenis editionis descripsit, mihi licebit nomina modo codicum afferre.

1) Codex Parisinus A. sec. XIII. Bak. prol. p. 43.
2) Codex Parisinus B. sec. XI. Bak. prol. p. 43, Walz. vol. IX. prol. p. X. et XXVI.
3) Codex Parisinus C. sec. XV. Bak. prol. p. 43.
4) Codex Venetus A. sec. XIV. Bak. prol. p. 44. cf. Walz. prol. p. X. et XXVI.
5) Codex Venetus B. sec. XV. Bak. prol. 44.

6) Codex Bodleianus sec. XV. Bak. prol. p. 40.
7) Codex Vindobonensis sec. XV. Bak. prol. p. 40. cf. Walz. prol. p. X.
8) Codex Cantabrigiensis sec. XV. Bak. prol. 40.
9) Codex Farnesianus sec. XV. nondum collatus, Walz. prol. p. XI.
10) Codex Mediceus sec. XV. Bak. prol. p. 30.
11) Codex Gudianus vel Guelpherbytanus sec. XV., quem post Bakium prol. p. 41 ipse contuli, tam parvi est momenti, ut non sit, cur, quae Bakius in enotandis eius lectionibus neglexit, ego perscribam.

Ecce igitur Apsinis codices, quos quidem his, quae exstant, editionibus vel nuntiis aliunde allatis comperire nobis licebat. Verumtamen, quantum quisque eorum ad orationem constituendam valeat, si nunc quaerere volumus, omnes hi codices in classes dividendi sunt duas, quarum alteram is, quem supra designavi Parisinum A, codex repraesentat, in altera autem reliqui omnes ad unum numerandi sunt. Hoc autem, quod modo statui, recte se habere, cognoscas primum ex lectionum varietate, quam Par. A praeter ceteros codices et editionem Aldinam praebet.

	Par. A	rell. codd. et ed. Ald.	
p. 331. 19	Sp. τῶν ὁμογενῶν	τῶν ὁμοιομερῶν	2. 1 Bak.
332. 1.	προσέσχετε	προσέχετε	2. 9 »
6.	δῃῶσαι τὴν Ἀττικὴν	δῃῶσαι καὶ τὴν Ἀττικήν	2. 14 »
21.	τῶν προειρημένων θεωρημάτων	τῷ προειρημένῳ θεωρήματι	3. 1 »
336. 19.	ἐστὶν εὑρεῖν	ἔστιν εἰπεῖν	8. 4 »
22.	ἀντιπίπτοντα τοίνυν	ἀντιπίπτειν τοίνυν	8. 7 »
337. 2.	πέρα τῆς ἡλικίας	ὑπὲρ τὴν ἡλικίαν	8. 20 »
11.	ὄντας πρότερον	πρότερον ὄντας	9. 6 »
12.	προοίμιον ἀντιπῖπτον	προοιμιακὸν ἀντιπῖπτον	9. 7 »
18.	παρῄνει	παραινεῖς	9. 13 »
20.	ὡς ὁ συμβουλεύων πλεῦσαι βασιλεῖ	ὡς ὁ παραινῶν βασιλεῖ πλεῦσαι	9. 15 »
338. 9.	συμβουλεύει Δημο-	γράφει ὁ Δημοσθέ-	

	σθένης αὐτὴν διορύξαι	*νης διορύξαι αὐτήν*	10. 14 Bak.
340. 11.	*καὶ ὁ ἐπὶ τῷ λοιμῷ τῶν Σκυθῶν*	*καὶ ὁ ἐπὶ τῶν λιμοττόντων Σκυθῶν* (sic apud B. corr.)	14. 6 »
23.	*ὁρᾷς ὅτι ὡμολογημένον ἐστὶ κακὸν καὶ ἄτοπον τὸ περὶ τὴν ἧτταν.*	*ὁρᾷς ὅτι τὸ ἄτοπον ὡμολογημένον ἐστὶν περὶ τὴν ἧτταν*	14. 18 »

Idem fere statuendum est de omni, quae exhibetur in Apsinis arte, orationis condicione. Haec igitur varietatum enotatio sufficere videtur, qua comprobetur codicem Parisinum A differre ab omnibus reliquis. Huc accedit, quod idem ille codex multas lacunas, quae inveniuntur in reliquis et in editione Aldina, luculenter complet, velut, ut nonnullas proferam, p. 340. 6 (13. 20 B.) omiserunt reliqui omnes *δύσκολον δὲ ἐκείνῃ, ὅτι μὴ ῥᾷστον ἐφικέσθαι τῶν τετολμημένων*, ibid. v. 8 (14. 2 B.) om. rell. *ἀφεῖναι*, p. 342. 6 (17. 9 B.) om. *συμφέρον*, p. 343. 17 (19. 10 B.) om. *ἐξ ἀπολογίας*, p. 344. 14 (20. 20 B.) om. *μεγάλα*, p. 345. 27 (22. 19 B.) om. *ἐπὶ τοῦ ἀπολογουμένου εἰπεῖν*, p. 348. 12 (26. 18 B.) om. *προκατάστασίς ἐστιν ἔφοδος πρὸς τὰς ἀποδείξεις ἢ κατασκευὴ τῶν ἀποδείξεων*, p. 349. 1 (27. 19 B.) om. *ἐπιθέσεως*, p. 356. 17 (39. 2 B.) om. *πολλάκις ἐπὶ Κατάνην ἐρρύη τὸ πῦρ, καὶ βουλεύονται περὶ μετοικισμοῦ· καὶ πάλιν*, et quae sunt similia. — Etiam in Parisino A invenitur lacuna p. 351. 10 (31. 7 B.) *ὁπόταν τὰ τοῦ ἀντιδίκου* usque ad paginam 352. 25 (33. 4 B) *χρημάτων εἰσφορᾶς*, quae verba exstant in omnibus reliquis codicibus et in editione Aldina.

Quod vero omnibus libris manuscriptis praeter Parisinum A interpositum est Longini artis fragmentum, maximo omnium mihi videtur esse documento, illum, quem dixi, codicem unum diversam ab ceteris duxisse originem.

Iam vero cum duas classes Apsinis codicum exstare earumque lectiones inter se discrepare demonstratum sit, restat ut videamus, utra earum ad orationem constituendam sit adhibenda. Qua in re facile comprobabo, omnium longe optimum et ab ipsius scriptoris dicendi genere proximum esse codicem Parisinum A ideoque unum

sequendum. Namque primum simplicissimam ac rei cuique, de qua agitur, aptissimam prodit orationem. Deinde cum contextus artis alieno scriptore non interposito in eo codice optime procedat, maiorem ceteris facit veri fidem. Atque cum quaerentibus de codicum auctoritate maximi momenti sit, orationem quam minime corruptam esse lacunis atque interpolationibus, eum autem codicem, quem designavi Parisinum A, non tentatum esse cognoscamus alienis annotationibus ut ceteros, non est cur iam dubitemus, hunc codicem reliquis omnibus longe anteferre.

Alteram codicum classem derivatam esse ex Parisino B sec. XI. ausim affirmare. Nam Venetus A, qui aetate Parisino B proximus est, scriptus est seculo demum quarto decimo. Quodsi codicem Venetum A non ex ipso Parisimo B fluxisse putabimus, sed ex aliquo apographo eius, quae inter hos duos intercedunt, ex lectionibus male scriptis facile orta esse possunt. Codices autem Bodleianum, Venetum B, Gudianum, Vindobonensem, qui inter se simillimi sunt, ex uno fonte, ex Veneto A vel codice ei simillimo, emanasse conicio. Venetum B certe ex Veneto A fluxisse videri iam monebat Cobetus.[48]) Codicum Parisini C, Cantabrigiensis, Medicei lectiones cum non satis notae sint,[49]) quomodo illi inter se cohaereant, non accurate mihi definire licet, etsi ex eis, quae comperta sunt, idem fere de eis atque de superioribus existimandum est. Codicem autem Farnesianum, cum Walzius[50]) recensionem vulgatam sequi contendat, in eodem alterius classis numero habeo. — Eidem familiae adnumerandus videtur esse liber Georgii Merulae manu exaratus, cuius lectiones se enotasse dicit Walzius.[51])

Iam quod in omnibus alterius classis codicibus fragmentum Longini interpositum est, eo factum esse conicit Walzius,[52]) quod glutinator aliquis duos libros falso ordine consuit. Quodsi recte suspicarer in Par. B sec. XI. Longini fragmentum in summo folio incipere idemque finiri in folio imo: in quo codice primum Longini fragmentum intercalatum esset, constaret atque quo seculo codicem archetypum scriptum esse putaremus, facile tum esset enucleandum.

Hi sunt libri, quos ad Apsinem recensendum aut ipse contuli aut ab aliis collatos adhibui; in quibus acquiescere constitui, non quo ignorarem numerum quidem codicum bibliothecis diligenter perscrutandis facile augeri, sed quia non usque sperare posse mihi vi-

deor, fore ut codices et vetustiores et praestantiores eis reperiantur, qui nobis iam suppetunt.

Cap. III.

Quibus ita expositis disquiram, qua condicione tradita sit Apsinis ars rhetorica.

Atque prima quidem editio typis impressa nominanda est cum omnium fere reliquorum scriptorum tum Apsinis Aldina pp. 682—730; orta est haec ex codice Vindobonensi vel, ut potius videtur, ex Veneto B. Novam huius artis rhetoricae editionem curavit Chr. Walzius a. 1836 in nono volumine Rhetorum Graecorum pp. 467—596. Hanc editionem recensuit et quodam modo correxit Eb. Finckh, qui et in epistola critica, quae ad volumen nonum editionis Walzii accessit, et in annal. Iahnii 1838 pp. 291—303 plurimas easque optimas emendationes ad Apsinem edidit. Ad haec conferenda sunt, quae Bakius in editione Apsinis et Longini prol. p. 22 sq. de Walzio iudicavit. Anno autem 1849 Ioh. Bakius ex Ruhnkenii reliquiis Longini fragmentum edidit, a quo cum Apsinem segregandum esse non putaret, etiam hunc adiunxit (prol. p. 29). Qua in editione curanda primus usus est codice Parisino A 1874 sec. XIII., qui quanto ceteris praestaret, supro explanavi. Itaque quamquam est ille reprehendendus, quod saepe codicis Parisini A lectionibus optimis lectiones deteriorum codicum sine iusta causa antetulit, tamen hac editione, quia prima ex optimo codice maximam partem profecta est et magnam varietatem lectionum[53]) continet, magnopere adiuvamur Apsinis librum existimaturi.

Huic successerunt paucis annis post (1853) Spengelii Rhetores Graeci, quorum in primo volumine pp. 331—414 Apsinis liber typis impressus est. Iam etsi nova subsidia ibi non afferuntur neque codices iterum hunc in usum inspecti sunt, haec editio, quoniam Spengelius Parisinum A semper fere magna cum diligentia sequitur, Bakianae anteferenda est. Idem vir doctissimus in egregio libro, qui inscribitur ***Συναγωγὴ Τεχνῶν***, cum alia tum de Apsine nonnulla falsa cum protulisset (p. 110), illos errores partim intellexit correxitque in Ephemerid. Monac. 1837 nr. 17 in censura operis Walziani, cum diceret, titulo ***περὶ προοιμίων*** vel ***προοιμίον*** nihil aliud significari nisi inscriptionem primi capitis[54]). Iam si idem ***Συναγ.***

Τεχν. p. 111 n. 9 dicit, Apsinis opus mire confusum et perturbatum, lacunis plenum, scholiis aliorumque disputationibus auctum esse atque exempla affert, quibus illud evincat, recte — bona venia Bakii — iudicavit, etsi non plane probanda est eius sententia, scholia interposita esse, quae notarentur praeposita voce *ἄλλο*. Nempe exempla p. 332. 7. 9. 13 Sp. non interposita, sed ab ipso Apsine esse scripta, sequitur ex rhetoris consuetudine, qua singulorum praeceptorum plura exempla proferre solet, quare hoc loco p. 332. 4 scripsit *ὡς ἐπ᾽ ἐκείνων τῶν προβλημάτων*. Exempla autem, quae ibi inducuntur vocabulo *ἄλλο*, postea voce *ὡς ἐπ᾽ ἐκείνου* vel *καὶ πάλιν ἐπ᾽ ἐκείνου* continuantur. Quo fit, ut ne Bakius quidem (prol. p. 8) verum viderit, istud *ἄλλο* a stupido librario praepositum esse. Nimirum si dixisset haec adscripta esse velut p. 332. 23 *ἄλλο;* item p. 333. 28; 334. 4. 27; 335. 28; 338. 5; 338. 25 *ἄλλο θεώρημα*, item p. 340. 14; *ἄλλο* p. 342. 4; 343. 8. 14. 21. 27; 345. 6; 346. 19. 32; 347. 9; 382. 9 *περὶ ἔθους;* 412. 29 *ἄλλο* — recte iudicavisset; omittuntur enim talia velut p. 338. 25 *ἄλλο θεώρημα*, item p. 340. 14 in codice Gudiano. Etenim si haec vera essent, cur non eadem scripta habemus p. 333. 18; 336. 9 etc.? Erant nimirum margini apposita atque a nonnullis librariis in orationem inferebantur, ab aliis omittebantur vel margini iterum adscribebantur; quo in numero habenda sunt ea, quibus praecepta singula in margine nonnullorum codicum velut Gudiani significantur, exempli gratia *ἐκ διαβολῆς*, *ἐξ ἀντιπίπτοντος* et quae sunt similia.

Iam Spengelius de lacunis bene iudicavit, quas, qui Apsinis artem oratoriam perlegerit, facile inveniet velut p. 333. 5; 338. 25; 354. 7; 370. 13; 372. 20; 374. 10; 382. 20; 394. 5; 400. 30. — Neque vero hunc Apsinis libellum mire confusum et perturbatum esse possum Spengelio plane concedere. Necessarius enim ordo capitum servatur, ut primum agatur *περὶ προοιμίων*, deinde *περὶ προκαταστάσεως*, tum *περὶ διηγήσεως*, post *περὶ λύσεων καὶ ἀντιθέσεων*, cuius capitis pars posterior proprie inscribitur *περὶ λύσεως*. Sed post hoc caput excidisse puto caput *περὶ ἐπιχειρημάτων*, quod cum se divisisse *εἰς παράδειγμα καὶ εἰς ἐνθύμημα* ipse prodat (376. 20), necessario haec duo capita sequuntur. Cumque ille in initio capitis *περὶ παραδείγματος*, quid intersit inter exemplum et parabolam, proferat, parabolam autem referendam esse ad exempli

caput antea ostendisse videatur: verba, quae p. 380. 10—16 scripta sunt quaeque ad enthymema non pertinent, huc transponenda esse censeo: ἔλθοι δ' ἂν καὶ εἰς ἐπιχείρημα ὁ τόπος [ἢ παραβολικῶς]; hoc loco lacuna patet, in qua τὸ παράδειγμα dividi in duo capita dictum erat; deinde subiciuntur: εἶδος ἐπιχειρήματος (leg. παραδείγματος) καὶ ἡ παραβολή [inserendum est ὡς ἐπ' ἐκείνου]· ὥσπερ τῶν ἐν ταῖς ναυσὶν ἁμαρτημάτων, ἃ συμβαίνει περὶ τοὺς πλοῦς, ὅταν μὲν τῶν ναυτῶν ἁμάρτῃ τις, βραχεῖαν τὴν βλάβην ἐποίησεν, ἐπειδὰν δὲ ὁ κυβερνήτης σφαλῇ, κοινὴν τὴν ἀτυχίαν καὶ μεγάλην τοῖς συμπλέουσιν ἤνεγκεν. Tum adiungenda esse puto verba p. 372. 29 παραβολὴ δὲ παραδείγματος τούτῳ διαφέρει κτλ. Ita autem a rhetoribus Apsinis potissimum aequalibus divisum esse intellegi potest ex Minuciani libello, qui est περὶ ἐπιχειρημάτων vol. I. p. 418. 28 Spengel: τοῦ παραδειγματικοῦ εἴδους εἰσὶ καὶ αἱ καλούμεναι παραβολαὶ καὶ αἱ εἰκόνες· διαφέρουσι δὲ αἱ μὲν παραβολαὶ τῶν παραδειγμάτων, ὅτι τὰ μὲν παραδείγματα ἐξ ἱστορίας λαμβάνεται, αἱ παραβολαὶ δὲ ἄνευ ἱστορίας καὶ ἀορίστως ἐκ τῶν γιγνομένων. Quod vero εἰκόνα τὴν αὐτὴν εἶναι τῇ παραβολῇ Minucianus tradit, Apsines tales res minutas a sua, qua utitur, ratione alienas omittit.

Deinde sequitur caput περὶ τῆς τῶν τελικῶν κεφαλαίων κατασκευῆς, cuius in initio nihil se dicturum esse profitetur de statibus, quippe qui iam ab aliis (Hermogene?) satis tractati essent; instrumenta modo τῶν κεφαλαίων se exsecuturum. Tum subiciuntur καὶ πρῶτόν γε περὶ τῶν τελικῶν εἴπωμεν. Frustra autem quaeras τὸ δεύτερον. Iam Apsines suo munere ita usus est, ut primum in capite τῶν ἀντιθέσεων et confirmationem et refutationem proposita divisione confirmationum coniungeret; nam et partem defensoris totam positam esse in refutatione et quae dicta sunt ex diverso, debere utrimque dissolvi docet recte Quintilianus (V. 13. 1). Quibus demonstratis transit rhetor ad probationes artificiales, quae constant argumentis et exemplis, quibusque subiunguntur τὰ τελικὰ κεφάλαια. His autem perlustratis exspectares, scriptorem dicturum esse etiam de probationibus non artificialibus; certe quidem legimus p. 384. 4—11 nonnihil, quod ad eas pertineat. Sed cum probationes artificiales tam plane tamque dilucide ac copiose ille pertractaverit, non est verisimile, has inartificiales, in quibus maiorem vim inesse quam

in artificialibus ipse dixerat (p. 360. 18), paucissimis verbis ei videri satis explanatas. Quae cum ita sint, caput **περὶ ἀτέχνων πίστεων** intercidisse puto et haec, quae de eo supersunt, esse vel fragmentum vel id quod, cum praecepta arctius definiantur, potius videtur, excerpta ex deperdito capite. Superesse autem excerpta ex Apsinis arte in codice Gudiano inveni[55]). Sed ne caput quidem **τῶν τελικῶν κεφαλαίων** absolutum est; neque enim ex ea ratione, qua disserit de legitimo, de iusto, de utili, de possibili, satis demonstratum est **περὶ ἐνδόξου**. Accedit, quod de partitione, quam exhibuit p. 380. 24, **τὸ σαφὲς** totum praetermissum est.

Iam vero restat, ut perscrutemur caput epilogi. Atque perorationem vult Apsines esse triplicem; habere enim hanc et enumerationem et commiserationem et dinosin, quae tractetur in amplificatione. Atque primam partem, quam voluit esse enumerationem, videmus eum persequi non minus copiose quam de commiseratione; quam autem tertiam epilogi partem dixerat, non iam ea superest, sed librum artis rhetoricae claudit caput **περὶ πάθους**, quod a Spengelio quidem et Bakio Apsini abrogatur, sed in codicibus omnibus huic scriptori recte tribui supra defendi. Estne hoc caput fragmentum? Equidem non puto, cum praesertim neque initium neque finis desideretur. Affectum autem partem epilogi necessariam esse tradidit Quintilianus (VII. 2. 20), cum adderet, se hunc diligentius explicaturum esse, cum de amplificatione dicturus esset; paulo post (§ 24) monet: »in hoc eloquentiae vis est, ut iudicem non in id tantum compellat, in quod ipsa rei natura ducetur, sed aut qui non est aut majorem quam est, faciat adfectum. Haec est illa, quae d i n o s i s vocatur, rebus indignis, asperis, invidiosis addens vim oratio, qua virtute praeter alios plurimum Demosthenes valuit.« — Quae si comparaverimus cum hoc Apsinis de affectu capite, num dubitabimus hoc, cum omnino ex ratione exemplorum et dicendi genere huic rhetori adiudicandum sit, excerptum ex tertia epilogi parte existimare, quam se tractaturum professus est in huius capitis initio? Ita enim facillime rectissimeque dissolvi potest quaestio de capite **πάθους**.

Cap. IV.

Iam ego quae profeci ad emendandam Apsinis artis orationem ita in medium prolaturus sum, ut, quae viri docti correxerunt vel tentaverunt, si mihi probantur, silentio transeam.

p. 337. 2 (8. 20 B): *Ἢ ὅταν τῶν μὴ σφόδρα πιστευομένων περὶ μεγάλων πραγμάτων εἰσίῃς.* Spengelius male inclusit *ὅταν*. Ponendum id esse videmus ex voce superiore p. 336. 29 *πολλὰ δὲ τοιαῦτα ὁμογενῆ προβλήματα· ἢ ὅταν πρὸς πρόσωπον λέγῃς — ἢ ὅταν αὐτὸς ὢν νέος εἰς δικαστήρια εἰσίῃς — ἢ ὅταν.* Ad ea, quae sequuntur *τῶν μὴ σφόδρα πιστευομένων* quaeque sensu carent, Finckhius caute addidit *ὢν*, non male, sed ea vel similia apud Apsinem vix inveniuntur. Equidem correxerim *ὡς μὴ σφόδρα πιστευόμενος περὶ μ. π.*, quae firmantur v. 8 *ἀναγκαῖον δὲ ἐν τῷ ὑπὲρ μεγάλων τὸν ἀγῶνα εἶναι.*

p. 341. 1 (15. 8 B): *Εἰ μὲν ἐξαρκεῖ τὸ ἀλγεῖν ἐπὶ τοῖς συμβεβηκόσιν, οὐκ ἄξιον μέν, φέρειν δ' οὕτως ἀνάγκη· εἰ δὲ καὶ τιμωρίαν χρὴ λαβεῖν. Οὕτως*, quod v i d e r i esse in Par. A dicit Bakius, correxit Finckhius in critica illa epistola in *ὅμως;* non recte; non enim orator res adversas oportere omni ratione tolerari, sed fortasse perferendas esse dicit, quia sic populo placeat. Equidem memini — sed facile fallor — apud Demosthenem simile quid legisse, unde hoc loco scribendum est: *φέρειν δ' ἴσως ἀνάγκη.* Tum emendaverim: *εἰ δὲ μή, τιμωρίαν χρὴ λαβεῖν*, cf. p. 342. 13.

p. 341. 4 (15. 10 B): *Ὁπόταν δὲ κρίνειν τινὰ μέλλῃς μεταβολῆς καιροῦ βελτίονος γενομένης, ἧς πρότερον μὴ οὔσης οὐκ ἠδύνασο κρίνειν, ἁρμόσει σοι λέγειν.* Malim deleta voce *καιροῦ βελτίονος* legere cum Parisino A *μεταβολῆς τινος γενομένης.* Videntur enim verba, quae includenda censeo, orta esse ex annotatione ad marginem adscripta. Quae si vera essent, tum certe dicendum erat *οὗ πρότερον μὴ ὄντος.* Confer, quae sequuntur v. 7: *πάλαι δυσχεραίνων τοῖς συμβεβηκόσι, νῦν ἐπειδὴ καιροῦ ἐλαβόμην.*

p. 341. 13 (16. 2 B): *Καὶ ἐκ τοῦ ἀπολογουμένου βιάσῃ λέγων.* Vocabulo *βιάσῃ* medelam afferam scribendo *ἐργάσῃ*, cf. p. 409. 26 *τὴν βαρύτητα πλείω ἐργάσῃ*, p. 413. 7 *ἡ δὲ ἐργασία αὐτοῦ ἄλλο τι δύναται.*

p. 341. 24 (16. 15 B): *Αἰσχίνης προῖκα ἐκόμισε σῖτον παρὰ*

τοῦ Φιλίππου πεμφθεὶς πρὸς Κερσοβλέπτην. Aeschini res non erat cum Cersoblepte; frumentum autem eum a Philippo accepisse cognoscas Demosth. fals. leg. p. 386 R. [56]): τὰ μὲν ἄλλα σιωπῶ — οἰκίας, ξύλα, πυρούς. Itaque fortasse nomen Cersobleptis enatum est ex docti viri glossa, qua αὐτόν, quod exspectatur, oppressa est.

p. 344. 25 (21. 8 B): Ἔστι καὶ τοιοῦτο γένος προβλημάτων, ἐν οἷς δοκῶν τις εὖ ποιεῖν ὑπόνοιαν ἔχει ὡς μετὰ ἐπιβουλῆς αὐτὸ ποιῶν. Scribendum παρέχει, cf. p. 345. 3: καὶ δόξαν παρέχων ὡς εὖ ποιῶν. Simile videmus p. 362. 7: πολλὰς παρέχομεν τὰς λύσεις, ubi omnes codices praeter Parisinum A exhibent ἔχομεν.

p. 347. 28 (26. 2 B): Τὸ γὰρ τοὺς στρατηγεῖν ὑφ' ἡμῶν κεχειροτονημένους πάσχειν ὑπὸ τούτου κακῶς, τῆς πόλεως, οὐκ ἴδιον τοῦ στρατηγοῦ τὸ ἀδίκημα νομίζω καθεστηκέναι. Includo τοῦ στρατηγοῦ, nam hoc loco de imperatore cum res sit, illa verba abundant; adde, quod deteriores codices exhibent νομίζω τοῦ στρ. ἀδ. καθ.

p. 349. 12 (28. 8 B): Διὰ τοῦτο γοῦν καὶ πάντας κατεστήσατε, ὡς ἂν μέτρια εἴη. Quid hoc loco sibi velit πάντας καταστῆσαι, non intellego; neque magis probatur lectio codicum cl. II πολίτας aut Bakii coniectura πάντας πολίτας. Itaque suspicor scribendum esse πολιτείαν et apud Spengelium μετρία et interpretandum: orator vult apud Lacedaemonios dicere, eos tyrannidem constituisse, ut res in integrum restituerentur, ideoque eos civitatem vel instituta civilia decrevisse, ut aequa essent. Constat quidem Athenis captis viros a Lacedaemoniis delectos esse, qui leges scriberent et rempublicam constituerent; cf. Xenoph. hist. Gr. II. 3. 1, ibid. § 13: (οἱ τριάκοντα) ἔπεισαν Λύσανδρον, φρουροὺς σφίσι συμπρᾶξαι ἐλθεῖν, ἕως δὴ τοὺς πονηροὺς ἐκποδὼν ποιησάμενοι καταστήσαιντο τὴν πολιτείαν.

p. 354. 7 (35. 9 B): Ὅπου ἂν δωρεὰν ἢ αὐτοὶ αἰτῶμεν, ἢ ἄλλῳ γράψωμεν μέγα τι κατειργασμένῳ, ἁρμόσει διηγεῖσθαι τὰ πεπραγμένα. Γράψωμεν scripserunt et Bakius et Spengelius et Walzius (p. 495. 20). Sed cum Par. A exhibeat γράφομεν, scribendum puto γράφωμεν, ut iam docemur voce αἰτῶμεν.

p. 355. 3 (36. 17 B): Ἡ πόλις εὐθήνει, ὡς μὴ μόνον αὐτῶν ἔχειν τὰ ἐφ' ἡμέραν, ἀλλὰ καὶ διακόσια τάλαντα, ἃ διῴκησε Καλλισθένης, προσπεριγενέσθαι. Vocabulum αὐτῶν sine dubio cor-

ruptum neque cum Bakio in *αὐτοὺς* neque cum Finckhio in *αὐτὴν* mutari debet, sed scribendum est *σῖτα*, cf. p. 354. 30: *οὐ πέμπει τὸν σῖτον ὁ Λεύκων. Σῖτος* autem vel *σῖτα* ea intelleguntur, quae ad victum quotidianum pertinent, cf. Harpocr. s. v. *σῖτος*.

p. 357. 3 (39. 18 B): *Τὰ μὲν οὖν πρώην κεκριμένα ὅπως δήποτε ἔσχεν, ἀφίημι καὶ οὐ λέγω τοῦτο ὅτι πολλὰ καὶ παραπεισθέντες πολλάκις ἔπραξαν δικασταί, οὔτε εἰς τοῦτο φέροντες δίκαια.* Hoc loco non cum Bakio lectio deteriorum codicum recipienda est velut *ἔγνωσαν* pro *ἔπραξαν*, quoniam apud Apsinem multa alia ab usu solemni abhorrentia reperiuntur. Sed corrigo *οὔτε εἰς τοῦτο φέρω τὰ δίκαια*, id est, quae mihi antea acciderunt quaeque iudices male saepe iudicaverunt, omitto neque ad id (sc. male iudicatum esse) meum ius confero. Codex Gudianus unus praebet *τὰ δίκαια*.

p. 358. 30 (42. 14): *Ταῦτα γὰρ ὑπογραφικὰ καλεῖται.* Stupida haec est repetitio superioris loci v. 29: *ὑπογραφὰς δὲ λέγω τὰ τοιαῦτα*, ideoque includenda.

p. 360. 24 (45. 9): *Ἀδόξοις τοῖς ὀνόμασι καὶ ὡς μάλιστα πειρᾶσθαι αὐτὰς ἀσθενῶς εἰσάγειν ἢ προσθέντα τι ὄνομα ἄδοξον ἢ ἀφελόντα.* Ante *ἀφελόντα* fortasse excidit *ἔνδοξον*, ut contrarium significetur.

p. 361. 14 (46. 9): *Ἀντιθέσεις μὲν οὖν τίθενται οὕτως, ὡς ἐν τῷ τῆς παραπρεσβείας.* Hoc loco Spengelius lacunam indicavit; deesse primi loci notionem velut *οὕτως· αὐτὴ δὲ ἡ ἀντίθεσις τίθεται ὡς κτλ.* Male, ut opinor; nam nihil intercidit nisi *αὗταί* ante *οὕτως*. Confer locum insequentem v. 23, tum v. 29; similem locum invenies p. 394. 30. Pluralem *ἀντιθέσεις* notionem ibi necessariam esse docent tria, quae sequuntur, exempla.

p. 363. 23 (49. 15): *Εἰ γὰρ ὡς ἀντίθεσιν καὶ λύσιν ἐποίει, οὕτως ἂν εἶπεν, ἀλλὰ νὴ Δία φοβερὸς Φίλιππος, ἢ ἐξ ἀδίκων ηὔξηται.* Spengelius annotavit: »malim *ὡς* abesse, nisi aliud velut *ἁπλῶς* latet.« Recte hoc quidem. Scribendum enim est *ἀγωνιστικῶς*, id quod videmus ex versu 19: *ὅταν μὴ οὔσης καταστάσεως δέῃ τὰς λύσεις καταστατικῶς ἀλλ' οὐκ ἀγωνιστικῶς τεθῆναι*, item v. 25: *νῦν δὲ καταστατικῶς εἰσήγαγε τὰς λύσεις.* Tum corrigendum puto: *ἀλλὰ νὴ Δία φοβερὸς Φίλιππος· οὐ φοβερός, ἐπεὶ ἐξ ἀδί-*

κων ηὔξηται. Deteriores codices, quos ut saepe Bakius sequitur, praebent *οὔπω ἤ*, unde fortasse mea coniectura firmatur.

p. 367. 23 (56. 1): *Ἢ βελτίων ἕτερος τρόπος ἐπανορθώσεως.* Spengelius *ἢ* inclusit. Falso; tum Bakius coniecit *ἦν β.* Ne id quidem recte; nempe exemplum subsequitur, tum dicendum erat *εἴη ἂν* vel *ἦν ἄν.* Itaque correxerim *εἶτα* sc. *ἀντιπαρίσταται,* quare statim Apsines dicit *φησί.*

p. 368. 23 (57. 3): *Ἢ οὐδαμοῦ τοῦτο τῷ ῥητῷ πρόσκειται.* Spengelius cum Bakio delevit *ἤ.* Equidem emendaverim *ἀλλ' οὐδαμοῦ,* cf. p. 367. 15: *ναί φησι κερδαλέα γράφεις, ἀλλ' αἰσχρά.*

p. 376. 7 (69. 6): *Οἷον εἰ λέγειν δυνάμεθα.* Malim *δυναίμεθα* ex more Apsinis velut p. 333. 20: *οἷον εἰ λέγοις,* item p. 334. 6. 28; 381. 2.

p. 376. 22 (70. 1): Hoc loco enumeratio partium enthymematum valde perturbata est. Ex ea ratione, qua singulae partes inter se subsequuntur, ita scribendum est: *πᾶν ἐνθύμημα γίνεται ἢ ἀπὸ ἐλάττονος ἢ ἀπὸ παρακειμένου ἢ ἀπὸ μείζονος ἢ συλλογιστικῶς ἢ ἐκ διλημμάτου, ὅταν δύο ἐναντία θεὶς ἐξ ἀμφοῖν ἕλῃς, ἢ ἀπὸ ἐναντίου ἢ ἐξ ἀκολούθου συλλογιστικῶς ἢ ἀπὸ τῶν ἀποβάσεων τῶν ἐνδεχομένων ἢ ἐκ τοῦ ἐκλειφθέντος ἢ κατὰ πρόσληψιν ἢ ἀπὸ οὐσίας ἢ ἀπὸ παρελθόντος χρόνου ἢ ἐκ μάχης ἢ κατὰ ἐναντίωσιν κρίσεως ἐνδόξου ἢ ἐκ κρίσεως ἐνδόξου ἢ ἀπὸ διαφορᾶς.* Nimirum in enumerandis partitionibus librariorum neglegentia facile perturbari locos vel unum alterumve omitti inter omnes constat.

p. 385. 23 (83. 4): *Ἡ μὲν* (sc. *ἀνάμνησις*) *ἐπὶ τέλει ἔκθεσιν ἔχει κεφαλαιώδη τῶν ζητημάτων ἁπάντων καὶ ἀνάμνησιν τῶν προηγουμένων ἀποδείξεων κεφαλαιωδῶς καὶ τῶν ἀναγκαίων, ἡ δὲ μεταξὺ γιγνομένη ἀνάμνησιν περιέχει τῶν ἀναγκαίων πίστεων.* Corrigendum puto *περιέχει τῶν προηγουμένων πίστεων,* cf. v. 8: *ἕτεροι δὲ ἤδη μεταξὺ τῶν προειρημένων* — an *προηγουμένων,* ita ut *προειρημένων* illud interpretandi causa fuerit annotatum? — *καὶ τῶν ἀναγκαίων πίστεων ἀνέμνησαν τῶν προηγουμένων ἀποδείξεων.* Hoc vocabulum, quod idem est atque *πίστεις ἔντεχνοι,* iam apud Dionysium Halicarnassensem invenitur velut de Isaeo iudic. c. 14: *τοιγάρτοι μετὰ τὰς διηγήσεις τὰς οὕτως ᾠκονομημένας οὐκέτι τὰς προηγουμένας ἀποδείξεις πολλοῖς βεβαιοῦται λόγοις, οὐδ' ἔστιν ὅμοιος τοῖς νέοις τεχνογράφοις, ἀλλὰ τὰς τῶν

ἀντιδίκων πίστεις ἀναιρεῖν οἴεται δεῖν. Etiam Apsines argumentationem artificialem ante inartificialem tractavit, ut nonnunquam oratores cf. Volkmann p. 316 n.

p. 390. 29 (91. 2): Eicienda puto *καὶ τούτου διχῶς θεωρουμένου* et *παραθέσεως ἀμφοτέρων τῶν δικαίων.* Vocem *θεωρουμένου* Bakius frustra mutavit in *διαιρουμένου.* Cum enim haec omnis enumeratio titulos modo habeat partium neque reliqui loci pluribus verbis explicentur, sequitur, ut haec quoque transposita ex superiore quaestione p. 389. 29 et p. 388. 8 delenda sint. In reliquis codicibus deest v. 29 *καὶ*, tum legimus *θεωροῦμεν οὐκ.* Accedit, quod haec ipsa verba corrupta nobis traduntur velut legendum esset *τῶν ἀμφοτέροις δικαίων* ex pag. 388. 8.

p. 392. 22 (93. 16): *Παρὰ τὴν ἀξίαν δὲ ἔστι τὸ ταῦτα πάσχειν τινά, ἅπερ αὐτῷ δοκεῖ εἶναι ἧττον.* Hunc locum corruptum, in quo quid sit *ἅπερ αὐτῷ δοκεῖ εἶναι ἧττον*, non intellegitur, corrigere Bakius conatus est scribendo *πρέπειν* pro *εἶναι*, quod neque sententiae loci respondet et longius abest a literis traditis. Neque magis Schneidewini *αὐτῶν — ἥττονα* mutatione satis docemur, quo sit referendum *αὐτῶν* quidque sibi hoc loco velit *ἥττονα*, Quid? quod Spengelius *αὐτοῦ — ἧττον ἄξια* coniecit, ita ut in eadem definitione idem vocabulum bis poneretur.[57]) Vocabulum nempe *ἧττον* medela indiget. Atque cum exempla, quae subsequuntur, quid velint, respexerimus, facile probabimus, inexspectatum aliquid desiderari atque *ἧττον* nihil esse nisi reliquias quasdam vocabuli *ἀδόκητον*, cuius prior pars voce *δοκεῖ* proxima interiit, posterior ad lectionem probabilem proferendam mutabatur. Unde sequitur, etiam vocabulum *ἅπερ* ita interpretandum esse, ut *πάσχειν* suppleatur et *δοκεῖ εἶναι ἀδόκητον* absolute ponatur. Vox *ἀδόκητος* invenitur apud Apsinem p. 334. 26: *ἀδοκήτου τύχης ἐπῆρθαι*, p. 409. 23: *ὦ τῆς ἐμῆς ἀδοκήτου τύχης.* Sensus autem similis est p. 411. 20: *καὶ ὡς μὲν οὐκ ἀπροσδόκητον καὶ χειμῶνι περιπεσεῖν πλέοντα θάλατταν.*

p. 395. 5 (97. 9): Cum hoc toto loco agatur de damnis corporis neque vapulare aliter quis intellegere possit nisi de corpore, annotatum est illud *περὶ τὸ σῶμα* a magistro vel lectore stupido illo quidem.

p. 395. 29 (98. 13): *Σκότος πολὺ καὶ τὸ μηδενὶ χαίρειν τοῖς αὐτοῖς τοῖς ἄλλοις δύνασθαι.* Bakius falso recepit, quae deteriores

codices praebent, *τῶν αὐτῶν*. Propius a vero abest Spengelius scribendo *μή*. Sed facili opera emendaveris *μηδ' ἐπιχαίρειν*, quod vocabulum etsi non memini apud Apsinem legere, tamen saepe reperitur apud poetas tragicos, quorum hic mentio est, velut Sophocl. Ai. 136. 961 Bergk.

p. 396. 14 (99. 10): Scriptum est in codice Parisino A *γάμων χηρείᾳ*, reliqui exhibent *ἐν γάμῳ, ἐν χηρείᾳ*, quam lectionem sublatis praepositionibus Bakius recepit, Spengelius eiecit utramque. Sed si Hermogenis, qui saepe eadem, quae Apsines, profert exempla, progymnasmata *περὶ κοινοῦ τόπου* (vol. II p. 11. 5 Spengel.): *εἰ δὲ λέγοις κατ' ἀνδροφόνου, καὶ τὰ παρακολουθοῦντα, γυνὴ ἐν χηρείᾳ, παῖδες ὀρφανοί*, cum hoc Apsinis loco comparaverimus, facile probabimus, cum in utroque loco similis sensus sit, legendum esse *γυνὴ ἐν χηρείᾳ, παῖδες ὀρφανοί*. Haec enim reo damnato cum necessario eveniant, ut iudices absolvant, orator petit. Similem Apsinis locum videas v. 21 et p. 401. 18.

p. 397. 8 (100. 15): *Ἐπεὶ τῶν αἰσχρῶν καὶ τῶν ἀπρεπῶν ἕκαστον ἔλεον κινήσει.* Scribendum *εἶτ' ἐκ τῶν κτλ.*, cf. v. 10 et p. 403. 20.

p. 397. 27 (101. 14): *Ἀλλ' οὐχ ὁ Δείναρχος, ἀλλ' ἐπὶ τὸν αὐτὸν ἐλθὼν τόπον — εἶπε.* Corrigendum *ἀλλ' οὐχ οὕτω Δείναρχος*. Confer, quae de Dinarcho dicuntur v. 32 sq.

p. 408. 1 (117. 8): *Ἄλλο δέ τι σπουδάζειν προσποιῆται δι' ἑτέρων λύων.* Suppleverim *τὰς αἰτίας δι' ἑτέρων λύων*. Dicit enim Apsines v. 4: *ὅταν ὑποτιμώμενος αὐτῷ μείζονος διὰ τούτου ταῦτα καθαιρῇ*, item v. 22: *ὅσα οὖν ἐστι τὰ λύοντα τὰς αἰτίας, ταῦτα ἐν τρόπῳ αὐξήσεως παραλήψεται.*

p. 408. 8 (117. 16): *πάλιν ὁ Μιλτιάδης ἐπὶ τοῖς περὶ Πάρον ἑάλωκε.* Scribendum cum codice Gudiano *ἑάλω*. Nempe syllaba *κε* fluxit in ceteris codicibus ex vocabulo insequenti *καὶ* bis scripto; cf. v. 6: *Δημοσθένης ἐπὶ τοῖς Ἁρπαλείοις χρήμασιν ἑάλω.*

p. 408. 14 (117. 22): *Τὰς δὲ λύσεις πρὸς τὰ ἐγκλήματα ἐν τρόπῳ αὐξήσεως παραλαμβάνοντες.* Bakius coniecit *παραλήψεται*. Propius abest fortasse *παραλαμβάνομεν*. Similis personarum variatio est p. 412. 7.

p. 410. 18 (120. 21): *Ὅτι ἄρα πόλεμον μέγαν κεκινημένον καὶ οὐδαμοῦ λυσιτελοῦν τὸ διπλοῦς ἐπ' αὐτοὺς ποιῆσαι πολέ-*

μους καὶ τὸ μῆκος τοῦ πλοῦ ὅτι ἐνεθυμεῖτο, καὶ πάντα — καὶ οὕτως μεταβήσεται. Post *πολέμους* interpungendum esse puto et corrigendum: *καὶ τὸ μῆκος τοῦ πλοῦ τούτου ἐνθυμεῖται καὶ πάντα κτλ.*

p. 411. 28 (122. 16): *Ὁ δὲ Νικίας ἔμπαλιν ἐρεῖ, ὅτι καὶ ἔδοξε καὶ ταῦτα αὐτοῦ ἀντιλέγοντος καὶ ἀποτρέποντος. τίς ὁ λόγος σοι ἔσται.* Bakius interposuit *τοιοῦτος* ante *τίς*. Male; sed post *ἔδοξε* interpungundum est, tum inserendum *εἴσῃ* ante *τίς*. Dantur enim hoc loco praecepta scholiastica, quomodo in ludis rhetoricis partes defensoris et accusatoris sint distribuendae.

Iam in Apsinis arte cum multa corrupta esse videmus, tum interpolationes reperiuntur crebrae. Atque doctas quasdam glossas eas dico, quae non tam ex hoc illove loco quam ex argumento totius libri vel aliorum librorum ex lectione ac cognitione sumptae sunt.

Velut p. 344. 10 (20. 16): *Ἐὰν δέ ποτε ἀναγκασθῇς κοινὸν προοίμιον εἰπεῖν, τὴν κατασκευὴν αὐτοῦ ἰδίαν πρόσαγε, οἷον περὶ μεγάλων ἥκομεν· [καὶ ἡ κατασκευὴ ἰδία προσετέθη ὡς ἐν τῷ περὶ εἰρήνης Ἰσοκράτους· ὅπου γὰρ περὶ πολέμου καὶ εἰρήνης, μεγάλα].* Haec interpolata sunt ex argumento orationis, quam fecit Isocrates de pace.

p. 354. 14 (35. 17): *Οἷον ὡς [ἐν τῷ Ἕρμωνι Ἀψίνης ἢ πάλιν] ἐν ἐκείνῳ τῷ ζητήματι.* Haec Bakius recte ex oratione semovit. Apsinem enim orationem de Hermone, qui idem a Minuciano (p. 418. 21 Spengel.) laudatur, finxisse eamque ab nescio quo collatam esse supra dictum est. Idem statuendum est de loco pag. 355. 6 (36. 20): *καὶ πάλιν ἐπ' ἐκείνου· Σκύθαι πόλιν ᾤκησαν, καὶ νοσούντων ἀξιοῖ τις ἀφίστασθαι τῆς πόλεως· [καὶ γὰρ ἐνταῦθα τῷ κατὰ ἀντεξέτασιν Ἀψίνης ἐχρήσατο].*

p. 355. 21 (37. 14): *[Κἀνταῦθα σύμμετρος ἡ διήγησις τῶν πεπραγμένων, καὶ πάλιν ὡς ἐπ' ἐκείνου, μετὰ τὴν νίκην ὁ Ἑρμοκράτης γράφει ἐπ' Ἀθήνας πλεῖν].* Hanc repetitionem praecepti v. 14 habemus, tum exemplum factum ex v. 16.

p. 356. 7 (38. 13): *Ὡς [ἐν τῷ Λυσάνδρῳ Ἀψίνης, Λύσανδρος ἀρχὴν ὑποδείξας καλήν· ἢ πάλιν] ἐπ' ἐκείνου.* Similis est haec interpolatio p. 354. 15. Huc referendus est etiam hic locus p. 358. 15 (41. 21): *[Ὡς ἔφη Ἀψίνης ἐν τῷ κατὰ Μειδίου γεγενῆσθαι, ἐπειδήπερ ἔμελλεν αὐτὸν ἐγκωμιάσειν].* Ex hac autem

interpolatione supra conclusi, Apsinem vel commentarium scripsisse ad Midianam Demosthenis orationem vel orationem in laudes Midiae finxisse. Similem locum habemus p. 359. 25 (43. 20): [*ὡς ἐν τῷ Λυσάνδρῳ Ἀψίνης ἠθικῶς ἥψατο τῆς διηγήσεως μάλα τὴν πρώτην ἐπαινέσας· ἔνδοξον γὰρ ἦν τὸ πρόσωπον*].

Annotati autem a lectore vel explicati a magistro sunt hi loci, in quibus Apsines exemplum hausit ex splendida Demosthenis oratione, titulum autem, cum eam orationem notam putaret, ut saepe, indicasse non videtur p. 375. 3 (67. 9): *Ὡς* [*ἐν τῷ πρὸς Λεπτίνην*] *ἐν τῷ περὶ τοῦ τειχισμοῦ τοῦ Θεμιστοκλέους*, pag. 375. 15 (68. 4): *πᾶν παράδειγμα λύεται κατ' ἀνατροπήν, ὡς ἐπ' ἐκείνου* [*ἐν τῷ κατ' Ἀνδροτίωνος*], p. 376. 10 (69. 9): *ὅταν ἢ παράδειγμα ἀντιθῶμεν, ἢ νόμον, ὡς ἐν ἐκείνῳ* [*ἐν τῷ κατ' Ἀνδροτίωνος*]. Haec aliena additamenta esse videmus ex aliis exemplis et antecedentibus et insequentibus velut p. 372. 16: *ὡς ἐν ἐκείνῳ*, p. 374. 21: *ὡς ἐν ἐκείνῳ.*

Restat aliud genus interpolationum quasi explicantium, quibus, ut nonnunquam augeatur orationis vis, similis notio adiungitur, velut p. 348. 20 (27. 8): [*Τουτέστιν ἀνηπλωμένως καὶ ἀφηγηματικῶς*]. Enumerationi enim horum locorum longa unius loci explicatio repugnat. Inde fluxit verbum *εἰσάγεται* in Parisino A, *εἰσάγοντες* in Gudiano aliisque. Itaque totus locus, ut haec enumeratio postulat, sic constituendus est: *ἢ αὐτὸ τὸ κεφάλαιον τὸ πρῶτον καταστατικῶς ἢ νόημα κεφαλαίου προαπολαβόντες ὡς κατάστασιν εἰσάγομεν.* Nempe codicis lectio *ἀπολαβὼν* ex compendio omisso non minus orta est quam *εἰσάγεται* et *εἰσάγεις.*

p. 348. 25 (27. 13): *Περὶ τῆς χρήσεως ἑκάστου* [*ἐν ᾧ τουτέστι χρηστέον*], *εἴπωμεν.* Hanc glossam esse apparet iam ex varia codicum lectione, quam exhibet classis altera: *τουτέστιν ἐν ᾧ χρηστέον.* Atque vocabulo *τουτέστι* facile explicatum esse docemur p. 348. 17 (27. 4), ubi codices cl. II. post *προδιορισμοῦ* habent *τουτέστιν ἐξ ὑπογραφῆς.* Multa autem discipulorum causa interpolata esse, hic totus locus magno documento est, cum in libris deterioribus omnes catastasis partes praepositione inducuntur, quae in Parisino A recte omittitur.

p. 372. 25 (63. 18): [*Ἐκ κοινότητος ἡ λύσις·*] *ἡ δ' ἑξῆς ἐξ ἰδιότητος.* Repetita sunt haec ex v. 21: *ἐκ κοινότητος μὲν, ὡς*

παρὰ κτλ., quibus subicitur exemplum, cuius in fine idem non posse iterum collocari apparet, cf. p. 367. 10 sq., p. 370. 13.

p. 385. 18 (82. 20): *Τρεῖς οὖν ἔχει τόπους ἡ ἀνάμνησις, [τουτέστιν ἡ ἀνακεφαλαίωσις]*. Hausta est haec annotatio ex v. 5: *ἔνιοι δὲ καὶ κατὰ μέσον τοῦ λόγου ἐχρήσαντο τῇ ἀναμνήσει, τουτέστι τῇ ἀνακεφαλαιώσει.*

p. 388. 1 (86. 15): *Σοφοκλῆς ἐν Ἠλέκτρᾳ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς τὸν Αἴγισθον καὶ τὴν μητέρα ἀποκτεῖναι κελευούσῃ [καὶ τὴν Κλυταιμνήστραν]*. Hanc interpolationem esse ad *μητέρα*, facile quivis sibi persuadebit. Bakius autem, haec in uno Parisino A inesse, annotare neglexit.

p. 389. 12 (88. 17): *Ἔτι ἀναμνήσομεν ἐπὶ* (fort. *διὰ* ut saepe) *τῆς καλουμένης γνωσιγραφίας [κατὰ ταύτην κεφαλαιούμενοι τὰ εἰρημένα·] ἔστι δὲ ἡ γνωσιγραφία κτλ.* Conferas p. 386. 5: *ἀναμνήσομεν δὲ καὶ διὰ προσωποποιίας· τί δ' ἐστὶν ἡ προσωποποιία κτλ.* Etiam in excerptis Gudianis, si recte margini annotavi, illa desunt. —

Iam vero Apsinem etsi non summum, tamen non contemnendum scriptorem rerum rhetoricarum habemus. Referebat enim ille omnia sua praecepta ad summi omnium temporum oratoris exemplum, non repudiabat, ubi res postulabat, poetarum carmina, emendabat ea suis exemplis, quae ad suae aetatis mores et instituta revocabat. Quae cum ita sint, quisquis artem veterum rhetoricam ex ipsorum libris, non ex compendiis cognoscere volet, non poterit non inspicere hanc Apsinis artem oratoriam, unde et multa in suam docendi professionem adhibebit et magnam percipiet lectionis voluptatem. —

ANNOTATIONES.

1) Philostratus, *Βίοι Σοφιστῶν* ed. Kayser. Editio altera. II. 33 p. 275.

2) Suidae Lexicon. Ex Recognitione J. Bekkeri 1854. s. v. *Ἀψίνης.*

3) Strabo XVI. p. 759 Tauchnitz (Casaub.) coll. Steph. Byz. ed. Berkel.

4) Homer. hymn. 19. 2 sq.

5) cf. Haeckermann, Spitz- und Spottnamen bei den Satirikern. Hoefer's Zeitschrift f. W. d. Sprache 1854 p. 169.

6) Phil. v. s. II. 33 p. 275 K.: *Ἀψίνης ὁ Φοῖνιξ ἐφ' ὅσον προὔβη μνήμης τε καὶ ἀκριβείας, οὐκ ἐμὲ δεῖ γράφειν.*

7) l. c. *ἐπειδὴ φιλία μοι πρὸς αὐτοὺς ἦν.*

8) l. c. Prooem. p. I.

9) Jul. Cap. Gord. c. 2.

10) Jul. Cap. Gord. c. 4.

11) Philost. v. s. I. ed. 1838. Kayser. prol. p. XXVI.

12) V. S. II. 33 p. 275.

13) Suidas s. v. *Νικαγόρας Μνησαίου ῥήτορος, Ἀθηναῖος σοφιστής· γέγονε δὲ κατὰ Φίλιππον τὸν Καίσαρα· βίους ἐλλογίμων, περὶ Κλεοπάτρας τῆς ἐν Τρωάδι, πρεσβευτικὸν πρὸς Φίλιππον τὸν Ῥωμαίων βασιλέα.*

14) cf. Westermann, Geschichte d. gr. Bereds. § 96. 16.

15) Westermann, Gesch. d. gr. B. § 90. 91. 96.

16) Westermann § 91.

17) Philostratus, v. s. p. 268.

18) Suidas s. v. *Ἀψ. Γαδ.*

19) Philostr. v. s. p. 262. 2; 256. 2; 270. 3.

20) Westermann l. c. § 89.

21) Westermann § 89.

22) Philostr. v. s. p. 267. 17: (*Ἡρακλείδης*) *ἐπὶ τὴν Σμύρναν ἐτράπετο θύουσαν μάλιστα δὴ πόλεων ταῖς τῶν σοφιστῶν Μούσαις.*

23) Philostr. v. s. II. 9. p. 252 sq. cf. Baumgart., Aelius Aristides als Repräsentant der soph. Rhetorik des 2. Jahrhunderts der Kaiserzeit. 1874; cf. cens. meam in Indice Philol. 1875.

24) Neque dubium est, quin nonnulli Apsinis loci ad Aristidis exemplum referendi sint. Ita p. 343. 10 Speng.: *ὥσπερ Ἀριστείδης ἐποίησεν,*

[redacted]

quae ibi de orationibus sacris praecipiuntur, ex eius orationibus Apsines sumpserat. Idem concludere licet de Apsinis locis p. 384. 22: *οἷα πολλὰ παρὰ Ἀριστείδῃ*, p. 352. 1: *ὡς ἐν τῷ Ἰσοκράτει Ἀριστείδου.* Hoc etiam ab Menandro *περὶ ἐπιδεικτικῶν* factum esse bene demonstrat Baumgart. l. c. p. 42.

25) Philostr. v. s. l. II. c. 26.

26) Westermann § 96. 8.

27) cf. Kayer Prol. V. S. p. 33 (a. 1838).

28) Walch. Comment. de publ. hon. p. 38 sq.; Westermann. Comm. de publ. Athen. hon. ac praem.

29) Recte legendum putat Walzius *Καικίλιος.*

30) Fortasse *ῥηθῶσι.*

31) Inde sequitur, Bakium — Apsinis et Longini Rhetorica. Ox. 1849 prol. p. 9 —, qui illum scholiorum locum referendum ad Apsinis caput *περὶ παραδείγματος* contenderet, falso conclusisse; neque magis probatur eius suspicio, locum velut vol. V. p. 465 W. ex Apsinis Commentariis in Demosthenis orationes fluxisse. Quae post haec Bakius disserit, cum coniectura mea congruunt.

32) cf. Demetr. de eloc. 1. p. 91. ed. Goeller; Volkmann, Rhetorik der Gr. u. R. 1. Aufl. p. 332.

33) Walz. vol. IX. p. 100 et prol. p. 4.

34) Walz. vol. IX. p. 100, ubi annotatio Schneideri est.

35) Quintil. II. 112; III. 1. 18.

36) Bak. prol. p. 11.

37) Walz. Index Rerum et Auctorum s. v. Minucianus.

38) cf. Demetr. *περὶ ἑρμη.* *Ἐσχηματισμένα* laudantur Walz. vol. VI. p. 197: *ταῦτα δὲ τὰ ἐσχηματισμένα ἐτράνωσεν Ἀψίνης ὁ Γαδαρεύς.*

39) Bak. prol. p. 12.

40) cf. V. p. 465 W., ubi ab eodem scholiasta memorato orationis Midianae exemplo haec dicuntur: *τάττει δὲ τοῦτο Ἀψίνης μετὰ τῶν σχημάτων.*

41) cf. Volkmann, Rhet. etc. p. 309. Ab Apsine *ζήτημα* idem intellegitur atque *μελέτη.*

42) Huc etiam referendi sunt loci hi: Aps. p. 364. 30: *διαφόρους γὰρ πρὸς ἑκατέραν ἠνέγκαμεν λύσεις*, et statim: *τοῦτο οὐκ ἂν εἴπομεν, εἰ μὴ ᾔδειμεν καὶ αὐτοὶ δύο ἀντιθέσεις τεθεικότες.* Item p. 367. 20: *τούτῳ ἀντιπαρέστησα ἕτερον τρόπον βελτίω*, cui egregie aptatur illud exemplum in ea arte usitatissimum p. 351. 13; 355. 28. Atque ipse confitetur se talia finxisse p. 364. 11: *ἔστι μὲν καὶ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις παραδείγματα, ἔστι δὲ καὶ παρ᾽ ἡμῖν ὡς ἐν ἐκείνῳ τῷ ζητήματι.*

43) cf. ibid I. 51.

44) Sic exhibet codex Parisinus A, quem omnium praestantissimum esse infra ostendam, cf. Bak. Aps. etc. p. 1.

45) Münch. gelehrt. Anz. 1837 nr. 17 p. 139 seq. cf. Schneidewin. Mus. Rhen. 1847 p. 254.